VNVM
NECESSARIVM,
SCIRE, QVID SIBI SIT NECESSARIVM IN VITA, ET MORTE, ET POST MORTEM;

QVOD NON - NECESSARIIS Mundi fatigatus, et ad Vnum Necessarium sese recipiens,

SENEX

IO. AMOS COMENIVS,

ANNO AETATIS SVAE LXXVII.

MVNDO EXPENDENDVM offert.

TERENT.

AD OMNIA AETATE SAPIMVS RECTIVS.

Editum Amstelodami A. 1668.
Nunc vero recusum Lipsiae A. 1724.
Prostat apud Sam. Benj. Waltherum.

PLATO.

Omnes scientiæ, si absit Optimi scientia, obsunt potius quam prosunt habenti.

DEMOCRATES

Ἁμαρτίης αἰτίη ἡ ἀμαθίη τοῦ κρέσσονος.

Peccandi causa, Ignorare quid sit melius.

DEVS apud Oseam c. IV. v. 6.

Peribit populus meus, quia non habet scientiam.

CHRISTVS Luc. X. v. 42.

Vnum est NECESSARIVM! Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

CELSISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO,

DOMINO

RVPERTO,

COM. PALATINO

RHENI,

SERENISSIME PRINCEPS,

IN Varronis consilium, quod prudenti Patrifamilias, aut cujuis Nundinas adituro, dabat, *Eme non quod opus est, sed quod ne-*

cesse, totus Mundus peccat. Cum enim totus *Mundus forum nundinarium* sit, mercium variarum, & merces istas vendentium, ementium, spectantium, plenum; rari tamen inter hos, istos, illos, qui *Necessaria a Non-necessariis distinguere* sciant. Promiscue Bona & mala, Necessaria & superflua, Vtilia & noxia, Pretiosa & vilia, exponuntur, laudantur, venduntur, emuntur. Et quod magis mirandum, & dolendum, sæpius superflua quam necessaria, noxia quam vtilia, mala quam bona, affectantur, laudantur, venduntur, emuntur. Hinc illud, *Mundus vult decipi*: reuera etiam Deceptionum & fraudationum Mundus vbique

plenus est Vsque adeo, vt ne sapientissimus quidem mortalium, Salomo, ludibria & præstigias effugerit, vanitatum, stultitiæ, feræque pœnitentiæ, factus spectaculum.

De qua materia cogitandi quia insperata quædam occasio mihi Seni nuper data fuit, visum est consignare aliquid, vsui futurum spero, primum ipsi mihi Seni exitum vitæ prospectanti, ad vana rerum vel vltima senecta facilius eluctandum: deinde aliis, qui Mundanis parergis intricati moneri non aspernentur. TIBI forsan etiam, MAGNANIME PRINCEPS, qui non felicior es Samsone, Dauide, Salomone, alisque præcelsi animi Viris, quos Re-

 rum

rum Mundanarum vortice abripi, non necessariorum gyris inuolui, ægreque tandem eluctari & enatare, contigit. Habes equidem domi a Sanguine, a Nomine, si varia Vitæ sorte (varie TE exercente) nascentia Heroicarum Virtutum pabitamenta: quid tamen currenti, metæque iam appropinquanti, celebrissima addere vetat?

O Ruperte, Atauis edite Regibus, imo Imperatoribus! Nihil TIBI huc iam ætatis & tot occasionum delato, humile, nedum friuolum, conuenit: Excelsa omnia, tantoque fastigio digna. Nam cuius ex Proauis Tuis nomen geris, RVPER-

TVS

TVS fuit; Palatinus Princeps Elector, Anno Christi 1400. in Romanorum Imperatorem electus, Imperiumque toto decennio tam laudabiliter administrans, vt propter pacatam vndique Germaniam (quam litibus vndique distractam repererat) Sapientis & Magnanimi Principis elogia apud Historicos meruerit. Recte igitur ille mensuram nominis sui, Salomonico similis, expleuit: cum vt Salomo Pacificum, ita RVBERTVS Quietis reparatorem sonat (Ruhebrecht, von Ruhe bringen.) Nec abludit Patris sui & FRIDERICI Magni Proaui nomen. Friedreich siquidem PACE DIVITEM sonat, & Salomonica

in memoriam reuocat pacifica tempora. Sed Patris Tui Tempora non fuerunt pacifica: Quia Bohemiam, Germaniam, Europam, bellis castigandi tempus fuit. Ideo Illum Fata Terris ostenderunt duntaxat; Rem nomine ipso designatam in alia tempora differendo. Quæ pacifica tempora vtinam tandem (post tot hyemes & imbres, & tempestates) videre! vtinam in reducendis illis cooperari, detur! Daretur autem, si Christiani omnium partium iuste accensam (omnium partium peccatis) iram Dei vniuersali resipiscentia placare: si Reges armis positis Pacis consilia tractare: si Subditi Deo & Regibus fidelius

seruire: si Omnes missis nugis seria Vitæ agere, & loco vanissimarum occupationum necessariis ad salutem vacare vellent.

SERENISSIME PRINCEPS, extant adhuc TIBI nato, & in Baptismate RVPERTI nomen adepto, Astrologorum ex favorabili Siderum situ vaticinia, Poetarumque super eo cantillationes, non infaustas in futurum de TE ominationes continentia. Sed Astrorum Fatorumque potestas in manu Domini est, qui fecit Cœlum & Terram, omniaque in fines a se præsignatos sapienter ac potenter dirigit. Ego hac scriptiuncula,

quid

quid sanæ Mentis, Diuinorumque Oraculorum ductu, in mortali cuiquam, sed hanc mortalem caute transmittendam vitam maxime NECESSARIVM sit, ponere volui ob oculos. Lege senile scriptum, Optime Princeps, iuuenilis exultantiæ iam quoque prætergressus metas! Vt Ipse quoque iam Labyrinthos Mundi a tergo relinquere, Sisyphea saxa figere, illusoriasque Tantali delicias in veras veram afferentes saturitatem commutare, properas.

Ego Deum orabo, vt hoc ipso, quem inchoauimus anno, & in illo ipso, quo benigna Fata TE detulerunt Regno, VNIVS NECESSARII

SARII solemniter inchoata praxi, Tua etiam pia, prudenti, Heroicaque cooperatione Christiani Orbis tranquillandi initium fiat verum; Amen.

SERENISSIMAE CELSITUDINI TVAE


Amstelodami e Museo meo Anno 1668 d. 1. Martii.

Omnem veram felicitatem devote volens Senex

J. A. COMENIUS, Morauus.

Errata.

Pag. 179. lin. 19. *lege* ipſe mundus. pag. 184. lin. 15. *lege* vt ſal, vt lux. pag. 187. lin. 8. *lege* cupiditates. pag. 197. lin. 3. *lege* per eandem viam.



ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT I.

Mundum totum superfluitatibus obrui, molestiis lassari, intentionibusque frustrari, exemplis ostenditur perpetuis.

CAP. II. *Omnium in mundo perplexitatum causam esse unicam, quod homines non distinguendo inter necessaria & non-necessaria, necessaria praetermittunt, non-necessariis sese occupant, implicant, intricant, sine fine.*

CAP. III. *Demonstrata necessitate artis distinguendi inter necessaria & non-necessaria, quid sit, quod necessarium dicatur, & cur in vnaquaque re vnum necessarium quæri iubeatur, & quomodo quærendum, vt inueniatur, ostenditur.*

CAP. IV. *Regula Christi de Vno necessario, quam sit obseruatu necessaria: quippe quæ sola e labyrinthis mundanis exitum ostendere; ab oneribus mundanis leuamen adferre; in esurie mundana saturitatem præstare potest. Et quomodo id speciali applicatione, verbis & exemplis docuerit Christus ipse.*

CAP. V. *Qua ratione hominum quisque regulam Christi, de Vno necessario, in seipso adhibere possit sapienter, vt sibi per totam vitam, & in morte,*

te, & post mortem bene esse queat, exemplis ostenditur nonnullis.

CAP. III. *Demonstrata necessitate artis distinguendi inter necessaria & non-necessaria, quid sit, quod necessarium dicatur, & cur in vnaquaque re vnum necessarium quæri iubeatur, & quomodo quærendum, vt inueniatur, ostenditur.*

CAP. IV. *Regula Christi de Vno necessario, quam sit obseruatu necessaria: quippe quæ sola e labyrinthis mundanis exitum ostendere; ab oneribus mundanis leuamen adferre; in esurie mundana saturitatem præstare potest. Et quomodo id speciali applicatione, verbis & exemplis docuerit Christus ipse.*

CAP. V. *Qua ratione hominum quisque regulam Christi, de Vno necessario, in seipso adhibere possit sapienter, vt sibi per totam vitam, & in morte,*

CAP. III. *Demonstrata necessitate artis distinguendi inter necessaria & non-necessaria, quid sit, quod necessarium dicatur, & cur in vnaquaque re vnum necessarium quæri iubeatur, & quomodo quærendum, vt inueniatur, ostenditur.*

CAP. IV. *Regula Christi de Vno necessario, quam sit obseruatu necessaria: quippe quæ sola e labyrinthis mundanis exitum ostendere; ab oneribus mundanis leuamen adferre; in esurie mundana saturitatem præstare potest. Et quomodo id speciali applicatione, verbis & exemplis docuerit Christus ipse.*

CAP. V. *Qua ratione hominum quisque regulam Christi, de Vno necessario, in seipso adhibere possit sapienter, vt sibi per totam vitam, & in morte,*

te,

te, & post mortem bene esse queat, exemplis ostenditur nonnullis.

CAP. VI. *Quomodo Eruditi, & qui rem literariam tractant, suos & scholarum labyrinthos, suaque Sisyphea saxa & Tantaleas illusiones, per Christi de Vno necessario regulam emendare possint.*

CAP. VII. *Quomodo Politici humanæ societatis commercia sic ad regulam Christi moderari queant, vt omnia familiarum, rerumpublicarum, regnorumque in tranquillo sint.*


CAP. VIII. *Quomodo Theologi, ecclesiarumque pastores & episcopi, accurata regulæ Christi obseruatione totius ecclesiæ saluti, conscientiarumque quieti ita consulere possint, vt melius nequeant.*

CAP. IX. *Regulæ Christi obseruatione to-*

tum mundum (ſi æternæ ſapientiæ admittat conſilia) in melius mutari poſſe.

CAP. X. *Profeſſio autoris de obſeruatione iam fixa æternæ Chriſti regulæ, de* Vno Neceſſario; *cum ſui & omnium in manus Dei reſignatione.*

Clauſula Vnius Neceſſarii, *de maxime neceſſario maxime cuſtodiendo.*



Caput I.

Mundum totum ſuperfluitatibus obrui, moleſtiis laſſari, intentionibusque fruſtrari, exemplis oſtenditur perpetuis.

§. I.

T*Rina eſt hominis ad imaginem Dei creati, rerumque domini facti, circa res occupatio.* Prima, *contemplandi eas, ad cognoſcendum, quid vnaquæque ſit.* Secunda, *operandi aliquid circa eas, ad eas vſui ſuo ſic vel ſic adaptandum.* Tertia, *vtendi & fruendi iis ad voluptatem.* Quod ipſa creationis hiſtoria narrat: *Deum plantauiſſe Paradiſum VOLUPTATIS* (Gen. 2, 8.) *& collocauiſſe ibi hominem, vt OPERARETUR, & cuſtodiret illum* (v. 15.) *adduxiſſeque ad illum animalia cuncta, quæ creauerat, vt ea CONTEM-*

PLANDO nominaret. (v. 19.) Vnde colligitur, hominis felicitatem consistere: I. *in clara intellectus luce*, ad rerum differentias recte peruidendum; II. *in prospero actionum successu*, ad opera firma producendum; III. *in secura bonorum fruitione*, ad veram mentis satietatem & quietem.

2. *Triplex ergo rursum infelicitas: I. in intellectu hallucinatio, error, falsitas; II. in actione hæsitatio, mendum, labilitas; III. in fruitione frustratio, semperque noua & molesta concupitorum esuries ac sitis.* Quæ tria (mentium errores, actionum mendæ, desideriorumque frustrationes) triste vagantur per vniuersum humanum genus iam inde ab homine primo, stirpe nostra. Qui, quia turpi rerum, suique ipsius, abusu e Paradiso in terram (propter peccatum maledicti percussam) eiici, & a voluptatibus ad labores

&su-

& ſudores, ſpinasque & tribulos, cunctis diebus vitæ ſuæ, & ad ipſam vſque mortem damnari meruit; (*Gen.* 3, 17. &c.) factum eſt, vt has peccati pœnas poſteri eius experiamur omnes.

3. Notæ quippe ſunt omni æuo piorum & ſapientum ſuper id effuſæ querelæ: I. *Confuſa eſſe omnia hominum*; II. *Labores moleſtiæ plenos, fructu caſſos*; III. *Voluptatumque loco dolores, & perpetuas ſpiritus afflictiones.* Cuiusmodi lamentis mortalium ſapientiſſimus Salomo libros ſuos; exemplis autem errorum, ærumnarum, pænitudinisque ipſam ſuam vitam impleuit. Queſtus enim fuit, *ſe operum Dei nec principium inuenire poſſe, nec finem*, (Eccleſ. 3, 11.) *nullamque rerum, quæ ſub ſole fiunt, rationem inueſtigare potuiſſe*: ſed quanto plus *laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniſſe.* (c. 8, 17.) *Hoc ſolum inueniſſe, quod hominem*

 minem

minem quidem Deus fecisset rectum; homines vero, infinitis sese miscendo, vanescant. (c. 7, 30.) Questus deinde, *laboribus suis hominem nihil lucrari præter fatigationem: peruersa enim non posse corrigi, nec defectuum iniri numerum;* (c. 1, 14. 15.) *conuersumque se ad vniuersa opera, quæ fecerant manus suæ,* (eminenter sane, super alia mortalium opera) *deprehendisse vanos sudores suos, cum nihil sub sole permaneat.* (c. 2, 11.) *Frustra igitur laborasse, & in ventum,* (c. 5, 15.) *cum nec velocitas ad cursum sufficiat, nec fortitudo ad bellum, nec sapientia ad panem, nec prudentia ad diuitias, nec artificium ad gratiam.* (c. 9, 11.) *Sæpe potius euenire contrarium, vt labores noceant.* Exempli causa, vt, *qui lapides transfert, lædatur ab eis: & qui ligna scindit, vulneretur ab eis.* (c. 10, 9.) Demum questus fuit, *delectabilibus etiam nullam*

nullam inesse satietatem, (c.1,8.) *seque omnigenis voluptatibus*, (quæ excogitari poterant) *frui sibi permittentem, nihilque animo suo negantem, adeo tamen in omnibus sub sole vanitatem deprehendisse, vt, tædio vitæ correptus, omnia sua detestaretur*, (c. 2, v. 1. 6. 7. 8. 10. 17.) *feliciores iudicans nondum natos, qui non viderunt mala sub sole*, (c.4, 3.) *aut abortiuos*. (c.6, 3.) Similes autem querelas per vniuersam Scripturam obseruare poterit, qui volet.

4. Nec aliud Græcorum sapientes voluerunt, dum dogmata sua fabulis inuoluentes hominibus æui sui *Labyrinthos, Sisyphea saxa, Tantalique delicias*, eodem sensu narrarunt: non minus vere, quam ingeniose. Quod vt patescat, & nos mala nostra melius intelligamus, remediaque admittamus promtius, eia istis de *Labyrintho,*

& de Sisypho, *& de Tantalo*, fictionibus paululum insistamus.

5. De Labyrintho fabula hæc est: *Minos, Cretæ Rex potens, vxorem habuit Pasiphaëm, monstrosæ libidinis fœminam: quæ, cum ex adulterino cum Tauro complexu monstrosum edidisset partum, semihominem & semibouem, (Minotaurum dictum) Rex exstrui curauit (ingeniosi artificis ope Dædali) Labyrinthum, h. e. ædificium perplexum, infinitis viarum ambagibus, atriis, transitibus, sursum & deorsum ascensionibus ita vndique oppletum, vt, quisquis immitteretur semel, oberrando semper, exitum inueniret nunquam. Quo cum inclusisset spurium illum suum, alios quoque ad mortem damnatos maleficos intrudi iussit, aut deuorandos monstro illo, aut perituros fame. Soli Theseo* (Atheniensis Regis filio) *euadere contigisse, commiseratione Ariadnes,*

adnes, Regis Minois filiæ: quæ (consilio Dædali) filorum globum subministrauerat, &c.

6. Ita fuit antiquorum de Labyrintho fabulosa narratio, quam Mythologi explicando *vitam hominum* innui aiunt, tam vndique perplexam, inextricabilibusque difficultatibus plenam, vt mortalium nemo extricare se (nisi quem solus DEUS sapientia instruit) sufficiat. Sed melius patescet mysterium, si *Minos* ille, Cretæ totius Rex, *Regem vniuersi* referre intelligatur, Deum; *Pasiphaë* vero imaginem illius sociam, *hominem.* Quam postquam infernalis Taurus, Satan, adulterauit, prodiit inde partu infelici monstrum *Minotaurus*, h. e. ex diuino & satanico semine mista sapientia: superne quidem speciosum quiddam ac cœleste, similitudinem diuinam; inferne autem terrenum ac deforme, ipsissimum

mum ſataniſmum referens. (*Dii enim eſſe voluimus, ſed forma diabolica: Deo ſimiles omniſcientiæ poſſeſſione, diabolo æquales obedientiæ ruptura.*) Rex ergo vniuerſi, vt nos puniret, ſapientiæ ſuæ theatrum, *mundum hunc noſtra cauſa factum, transformauit nobis in Labyrinthum*: cui immiſſi omnes oberramus ſine fine omnes, quemadmodum Salomonis & omnium ſapientum teſtimonio, ipſaque triſti & perpetua experientia conſtat. *Totus* enim *mundus magnus Labyrinthus eſt, cum incluſis minoribus innumeris*: vt mortalium nemo ſit, quin aliquem oberret Labyrinthum, aut vnus idemque plures. *Si omnium hominum daretur inſpicere mentes*, intricatiſſimas videremus cogitationum, phantaſiarumque ambages, monſtroſoſque anfractus: *ſi gentium linguas*, infinitum confuſiſſimorum ſonorum & con-

& conceptuum chaos: si, *quibus se omnes sub cælo occupant, labores*, infinitas itidem aut circulationum, aut sursum & deorsum, porro & retro, in dextrum & sinistrum, cæcarum euagationum tricas. Etenim si sapientissimo illi Salomoni, florentissimo in regno suo, occupationes suæ Labyrinthus fuerunt; (fassus autem est toties, & questus dolenter, & experti eius posteri multipliciter) *quis Regum, Principum, procerum, nedum priuatorum vllus, ab æternis erroribus & tædiis immunitatem sibi polliceri audeat?*

7. Quid autem *Sisyphus*? Narrant ob temeraria quædam ausa eo fuisse a *Diis condemnatum, vt apud inferos ingentem quendam lapidem montem versus voluere cogatur: quem tamen, vbi ad verticem vsque promouit, semper ad ima relabi, nouoque semper labore sursum esse volutandum sine fine.* Ecquid hoc?

hoc? Mutato nomine nobis de nobis fabula narratur. Moleſtiſſimi enim labores intelliguntur, quibus ſe miſeri mortales continuo fatigantes, terminum vix vnquam inueniunt: *dum finis laboris vnius ſemper ſit initium alterius*. Nempe quomodo ſol occidit, vt iterum oriatur; & flumina ſemper intrant mare (tanquam terminum ſuum) vt iterum originem repetendo ſuam fluant: ita omnis homo quotidie ſe ad quietem componit, ſed vt rurſum ad labores ſurgat; quotannis agricola demetit agrum, ſed & quotannis eundem obſerere neceſſe habet. Sæpe quis laborem optato ſucceſſu ſe peregiſſe putat, cuius tamen fructum paulo poſt ſibi periiſſe videt: ſiue alio veniente, qui a ſe ſtructa deſtruat; ſiue ipſe (opere ſuo ſibi diſplicente) aliud, vel aliter, ſtruat; ſiue opus ipſum per ſe intereat, aliique operi ſtruendo ne-

ceſſita-

cessitatem afferat. Quot discordiæ, lites, bella, feliciter composita visa, nouas in discordias & bella denuo relabuntur? Illustrissima etiam in orbe opera, magno famæ strepitu peracta, & mox relapsa, id testantur. Tot monarchiæ, a tot heroibus fundatæ, & in firmum statum deductæ visæ, vbi iam sunt? Reuolutæ ad imum, vt vix memoria supersit. *Ecce Sisyphi facti sumus omnes! Sisyphea saxa sunt labores nostri omnes.* (Ps. 90. Eccl. 6.)

8. *Tantalum* denique narrant *incontinentiam gulæ* (alii dicunt *linguæ*) *ad æternam esuriem & sitim ita damnatum*, vt inter sapidissimos arborum fructus constitutus, limpidissimamque aquam ad labra habens, neutris tamen potiri queat, fugientibus ab illius ore vtrisque. Vnde *Ouidius*;

Quærit

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.

Verissima iterum imago sortis mortalium! Quorum quicunque opibus, aut honoribus, aut voluptatibus, aut aliis in vita desiderabilibus inhiant maxime, esuriunt & sitiunt maxime, quia voluptatum & cupiditatum nulla est satietas: edunt, vt edant, bibuntque, vt iterum bibant. Vt scabioso nullus est finis scabendi, ita voluptuoso voluptuandi, ambitioso ambiendi, diuiti diuitias corradendi: quia omnis cupiditas inexplebilis est, famemque sui patitur. *Vt terra nunquam satiatur aqua, & ignis nunquam dicit, sufficit;* (obseruante Salomone, Prou. 30, 16.) *ita hominis animus in omnibus illis, quorum desiderio corripitur.* Omnes ergo voluptuarii, ambitiosi, auari, quot-

quotquot eorum orbis alit, ad æternam famem & sitim damnati Tantali sunt. Et quia omnes cupiditatibus laboramus (secundum plus & minus) nemoque iis expletur hac in vita, omnes igitur miseri Tantali sumus.

9. Possunt tamen etiam specialiter applicari, *Labyrinthus ad vitam præsentem; Sisyphea saxa ad mortem; Tantaleæ dapes ad statum, qualis quemque post mortem manet.* Dum enim viuimus, reuera quisque nostrum suum habet *Labyrinthum*, suas molestas, alias ex aliis nascentes, occupationes. In morte autem summum est, *onera conscientiæ scire aut nescire ponere, ad inueniendum aut non inueniendum quietem æternam.* Post mortem denique, quod expectare habemus, est *aut voluptatum æternarum satietas in Paradiso Dei, aut esuries & sitis æterna exclusis a Paradiso.* Væ illi,

illi, qui ſe ante vitæ finem mundanis Labyrinthis non extricauerit! Væ, qui in morte peccatorum ſarcinam deponere neſcierit! Væ, qui poſt mortem ad Tantali ſodalitia ſe delatum ſenſerit!

10. Redeundo tamen ad præſentis vitæ fatigationes, dico, *ſi cui per hominum ætates, ſexus, ſtatus, ordines, ire volupe eſſet, nihil niſi labyrinthos & ſaxa, deſideriorumque fruſtrationes perpetuas reperturum*. Habent quippe labyrinthos ſuos iuuenes, habent ſenes: nec illis deſtituuntur viri, nec fœminæ. Habent moleſtias ſuas agricolæ, opifices, mercatores, milites, & quis non in omni vita?

11. *Philoſophi, & alii ſtudiis ſapientiæ deditii, quærunt errorum mentis, moleſtiarumque vitæ antidota*: ſed quantum reperiant, ipſæmet eorum partim querelæ, partim iurgia perpetua, orbi nota, teſtantur. Ariſtoteles omni-

omnium, qui ante ſe philoſophati fuerant, opiniones refutabat, ſe ſyſtematice omnia tradentem, Philoſophiam condere ſperans ſolidam: ſed reperit contradicentes hunc vſque in diem. Tentabantque alii aliter conſtituere omnia, noſtro etiam æuo, *Patricius*, *Teleſius*, *Campanella*, *Verulamius*, *Carteſius*; & quid ad ſummam rei profectum eſt? Pendent lites, non eſt, qui decidat. Poſtremus quidem hic ex æternis errorum labyrinthis viam reperiſſe viſus eſt commodam, *de veritate iam poſſeſſa præiudicia ſeponendi, omnia denuo examinandi, neque quidquam, niſi tam aperte verum, vt euerti non poſſit, admittendi conſilia dans*: quo & nomine applaudentes reperit multos. Sed quia in dubium vocare omnia (diuina & humana) periculoſum, examenque omnium ſuſcipere labor immenſus, viſa ſunt: plerique

que nihil nisi nouum Labyrinthum esse constructum queruntur. Et quidem Labyrinthum tam perplexum, vt extricandi se viam nec Dædalus ipse repererit, nec aliis filum aliquod monstrarit. Ex. gr. Mundi corporei systema construxit ex vorticibus quibusdam, quorum nec initium, nec finem, nec formam, nec numerum, nec vsum ostendere potuit: nec tandem asseuerare ausus, *ita esse*, sed ita *videri*. Materiæ vero mundanæ formam, in densitate vel raritate consistentem (Metaphysicam quandam speculationem sequutus) ita descripsit, qualiter in rei veritate non esse, omnium elementorum natura (quibuscunque experimentis examinata) clamat: artificiosaque varii generis instrumenta, nouum illum figmentum vanum esse, demonstrant.

12. Philosophiæ clauigera, discursatri-

tricisque per omnia humanæ rationis directrix, habetur *Dialectica:* tantis ſtudiis culta, tantisque laudibus celebrata, vt ſine illa nihil vſquam recte intelligi poſſe creditum ſit: prorſus ac ſi illa ipſa *filum* illud *Ariadnes* eſſet, ex omnibus mentis vagabundæ Labyrinthis exitum oſtendere ſola potens. Enim vero, ſi quis immenſas dialecticorum tricas, & de iis lites inſpexerit, nihil niſi Labyrinthum reperire ſe (qualis quidem adhuc illa eſt) reſtari poterit.

13. *Aſtronomorum, Geographorum, Hiſtoricorum, Chronologorum, Medicinæ, Chymiæ, Alchymiæ, &c. Labyrinthos quis enumerabit?* Si te in vnum horum immiſeris, inexplicabiles gyros iam ingreſſus es.

14. *Societates humanas regendi prudentia, Politica eſt, cum conſiliaria ſua Iurisprudentia.* Quarum finis eſt, res humanas, ipſumque humanum genus,

in ordine, pace, tranquillitate, continere. Quomodo autem contineant, omnia fora, tribunalia, curiæ, nunquam otiosæ, semper litibus & iurgiis perstrepentes, testantur: multo vero magis perpetua inter gentes & regna bella (quibus se tremendum in modum vastat mundus) clamant.

15. *Religio*, commercii mentis creatæ cum increata vinculum, omnibus mundanis perplexitatibus ferre solatium, & a turbulentis rerum terrenarum procellis non tantum securum ostendere portum, sed & in eum deducere debebat. Quomodo autem id præstat Religio? ipsa iam facta perplexior Labyrinthus atque vllus alius toto orbe. Primum enim pro vna innumeræ sunt; & quælibet rursum intra se in alias plures scissa, nil nisi Labyrinthus. Id quod tam euidens est (maxime argutis Politicis ingeniis) vt pleri-

plerique iam nullam religionem esse veram, fabulosas omnes, suspicati, Numen etiam ipsum, Numinisque metum abiiciant, & in Atheismum prolabantur: in ipsis tenebris lucem, in conscientiæ torpore securitatem, in morte vitam quærendo. Eheu!

16. *Gentilismus* quidem reuera fuit fabula, Deorum & idolorum multitudine insaniens. Sed nec *Iudaismus*, tametsi ab ipso vero Deo nostrum omnium creatore originem trahens, per subingressas tamen corruptelas in *Pharisaismum* (h. e. superstitionum chaos) degenerans, multo melior æstimari potest: sicut & *mistus ex Iudaismo & Christianismo Mahomedismus*, cæcum errorum antrum.

17. *Sola Christiana religio, ducem habens illum, qui via, veritas, & vita est* (Ioh. 14,6.) *creditur esse* (debebat certe esse) *sancta illa per prophetas pro-*

missa Sionis via, tam directa, vt ne stulti quidem per eam errare possint, (Ies. 35, 8.) Estne autem? Eheu, eheu! Toto mundo vix alius intricatior labyrinthus reperitur, atque christiana (qualis iam facta est) religio: tam multiplex, dico, & varia, inque tot dissecta Sectas, & concisa in tot millenas circa fidem quæstiones, & circa singulas quæstiones opiniones, & de opinionibus pugnas, vt nihil similiter intricatum totus habeat mundus. Et quod magis prodigiosum, nullibi toto orbe propter religiosas dissensiones tam acerba odia, tam pertinaces rixæ, tam sanguinariæ persecutiones, tam crudelia supplicia, tam atrocia bella.

18. *Vna quidem Christianorum pars extra Labyrinthum se esse credit, & iactat, omnibus sub capite vno ita sibi inuicem subordinatis, vt discordiæ (per alias Sectas vbique spectatæ) non facile oriri*

oriri queant. Verum si quis concordiæ illius leges propius inspiciat, affabre quidem structum (præ omnibus artificiosius) Labyrinthum videbit, Labyrinthum tamen; & quidem vastiorem, ac vllum alibi vsquam. Vt non immerito aliquis ipsorum dixerit (siue ioco, siue serio:) *Nihil peius quenquam posse pessimo suo hosti optare, quam vt fiat Papa:* propter tremendam scilicet negotiorum turbam, volutandorumque saxorum molem, & frustra speratas delicias.

19. *Ecquid igitur sub sole a Labyrinthis, a Sisypheis saxis, a Tantaleisque delusionibus immune erit? Nihil vsquam hactenus.* Coæua mundo sunt, humanumque genus semper comitantia, tria illa mala (*intellectus errores sine fine, fatigationes virium sine fine, & desideriorum frustrationes quasi perpetuæ*) quibus tamen finem & quæ-

 rit

rit ſemper impatientia humana, & quærere debet induſtria cum Deo, donec inueniatur. Nam *non fruſtra eſt innatum illud menti* (non Salomoneæ tantum, ſed omnium noſtrum) *meliorum deſiderium*, eluctandique Labyrinthos, ſuperandi ſaxa, & concupita tandem, tandem, tandem aſſequendi conatus perpetuus, non niſi morte ſiſti valens.

20. Prorſus enim ita exiſtimandum eſt: *ſi quis omnium piorum, prudentum, ſapientumque hominum, qui inde ab exordio rerum vixerunt, intueri cogitationes, audire ſermones, legere ſcripta, conſiderare facta poſſet: non aliud repertum iri, quam aut Labyrinthum aliquem eluctandi, aut labori alicui finem imponendi, aut denique paratis bonis ſecure perfruendi conamina fuiſſe.* Nec reliqua hominum turba quidquam præter tria iſta agit: tametſi plerique,

rique, quid agant, non intelligant. Nisi quod *cum intellectu falli ac decipi, viribus ſine vſu fatigari, voluntatisque ſuæ deſideriis fraudari nemo velit.* Subinde tamen, deceptum ſe intellectu, fruſtra impendiſſe vires, votisque ſuis potiri non potuiſſe, experiantur omnes. Omnes nihilominus tamen ad vota (intellectu non errandi, moliminibus quietem inueniendi, optatisque ſuis vel tandem potiundi) redeuntes perpetuo.

21. Quæ innata meliorum deſideria, & pro aſſequendis illis perpetua mortalium tentamina, optatum tandem aliquando ſucceſſum eſſe habitura, cur deſperemus? Nempe *ſi DEUS & natura nihil faciunt fruſtra* (quod obſeruarunt, & pro infallibili axiomate adhibent philoſophi,) *cur tam radicata humano cordi deſideria indere placuiſſet Deo, ſi nullo vnquam tempore illa*

expleri vellet? Abſurdum cogitatu: cum neceſſe foret deſideriorum noſtrorum fines aut non intelligere Deum, aut promouere nos ad fines noſtros non poſſe, vel neſcire, aut nolle. Quorum nihil cogitari poteſt, niſi omnipotentiæ, aut omniſcientiæ, aut abſolutæ bonitatis laude priuare velimus Deum. An enim, quod mortali concedemus homini; immortali non concedemus Deo? Nempe *ſi Dædalus, errorum artifex, non errandi etiam artificium oſtendere* (ingenii ſui ſic in vtramque partem daturus ſpecimen) *voluit, ſciuit, potuit*: quomodo Deus in nobis, perpetuis erroribus eximiendis, æternæ quoque ſapientiæ ſuæ glorioſum exemplum dare nolet, aut non poterit? Atque *ſi Dædalo contra multiplices errores in manum Theſeo dare medium ſimpliciſſimum facile fuit, FILUM*: quomodo Deo noſtro

 homi-

homini, a ſe recto & ſimplici facto, ſed qui, temere ſeſe infinitis miſcens, inextricabilibus errorum labyrinthis ſeſe implicauit, (*Eccleſ.* 7, 29.) ad concreatam rectitudinem & ſimplicitatem redeundi, tum impetum dare validum, tum planam oſtendere viam, non facile ſit? Viam dico, per quam recte perſpectam & initam quisque homo æque velociter (atque Theſeus ille) æternis ſuis ſe expediat erroribus? Atque *ſi Archimedes*, mortalis homo, *Hieroni Regi* oſtendere potuit artem in mare deducendi nauem vna manu, quam millenarum manuum viribus deduci impoſſibile viſum; Deone noſtro Siſyphea noſtra figendi ſaxa artem deeſſe cogitabimus? Aut reducendi nos in paradiſum ſuum (vbi voluptatum torrentes fluunt, bonorumque ſatietas æterna) vel ſapientiam, vel miſericordem voluntatem deeſſe? Abſit blaſphema cogitatio! 22.

22. Præsertim cum eam spem Deus solemnissimis (per secula iteratis) promissionibus humano generi instillare nunquam intermiserit: nos ergo, quo magis seculorum finem, promissionumque omnium complementa appropinquare credimus, eo magis capita erigere, e Labyrinthisque nostris exitum prospectare, & de quibuscunque Ariadnes filis sollicitis esse conuenit.

CAPUT II.

Omnium in mundo perplexitatum causam esse vnicam, quod homines non distinguendo inter Necessaria & Non-necessaria, necessaria prætermittunt, non-necessariis sese occupant, implicant, intricant sine fine.

§. I.

QUemadmodum ægrotantibus nihil

nihil prodeſſe poſſunt Medici, morbi cauſam ſi ignorant; illa autem eueſtigata, remedia quæri facilius, & inueniri felicius, adhiberique tutius poſſunt: ita in omni malorum genere fruſtra de illo amoliendo ſuſcipiuntur cogitationes, antequam radices mali pateſcant. Inquirendum ergo in iſtorum malorum, quæ nobis jam in conſideratione ſunt, (errationum humanarum perpetuarum, fatigationum inquietarum, fruſtrationumque continuarum) cauſas veras, ſi reperire volumus remedia vera.

2. *Dico autem cauſam primariam perpetuam eſſe hanc vnum, quod homines pretioſum a vili,* (vt loquitur Deus, Ier. 15, 19.) *h. e. neceſſarium a non-neceſſario, vtile ab inutili & noxio diſtinguere aut neſciunt, aut non curant, aut denique præfracte nolunt,* (pecorum

rum ritu euntes, non quo eundum est, sed quo itur:) *aut denique non deserendo, quod semel placere cepit, siue bonum fuerit, siue malum.*

3. Prorsus admiratione digna est in plerisque mortalium *monstrosa quædam contrariorum copula; sagacitatis dico cum stupore, curiositatis cum incuria; voluntatis cum noluntate*, circa res easdem. De *prima* enim ita Deus: *Stultus est populus meus, non cognoscit: filii insipientes sunt, & vecordes: sapientes sunt, vt faciant mala, bene autem facere nesciunt*, Ier. 4, 22. Nempe quia plerumque curiosi sunt circa res alienas, incuriosi circa proprias. Et quod magis portentosum; curiosi circa minutias, in quibus nihil ad felicitatem situm est; incuriosi circa maxima, in quibus vitæ & salutis cardo vertitur: alieno in oculo festucam videntes, eamque eximere soliciti, in proprio

prio ne trabem quidem. Bonum autem & velle, & nolle deprehenduntur: quia *velle ſe bonum quiſque dicit, vult etiam, eo ſe ſtimulari ſentiens*: at ſi pro adipiſcendo illo difficiliorem laborem ſubeundum, aut dulcedini quidpiam amaritudinis admiſtum eſſe vident, *mox velle in nolle tranſit.* Hinc euenit, vt veritatem quærentium, & tamen errantium; ſtudioſe laborantium, & tamen in vanum vires profundentium; deſiderata bona anhelantium, nec tamen adipiſcentium; aut, ſi adipiſcuntur, frui neſcientium, & dehinc rurſum faſtidientium mundus plenus ſit. Exemplis res pateſcat.

4. Rerum initio, quia vnus fuit Deus, & vnus ab vno Deo productus mundus, vnusque vni mundo datus œconomus, homo, & vna illi lata lex, *vni ſubeſſe creatori, omnibus autem præeſſe creaturis*: ſeruare legem hanc

præcise, *VNUM illi NECESSARIUM fuit.* Quod vnum necessarium, si primi parentes cum posteritate sua obseruassent, æternum haberemus paradisum huc vsque. Illi autem quid? *Propositum sibi habentes* (binæ arboris symbolo) *bonum & malum, vitam & mortem; bono & vitæ adhærere debuerunt: experiri contraria* (quid bonum & malum, vita & mors sit) *non fuit necessarium, nec vtile, ideoque prohibitum.* Sed illi Satanæ suasu, propriaque curiositate ducti, posterius elegerunt, ad vetitam scientiæ boni & mali arborem conuersi. Qui primus & crassissimus error omnium sequentium errorum & perplexitatum radix illis extitit. Mox enim nuditate agnita erubescere, velamenta nihil profutura quærere, a bonorum suorum fonte, Deo, fugere, loco sinceræ ac humilis confessionis errati sui, fraudes fingere,

gere, & sic de vna noxa in aliam labi cœperunt. In tam artificiosum ecce Labyrinthum eos infernalis Dædalus deducere scivit!

5. Receptis in gratiam, & erectis in spem venturi opitulatoris promissione, mactatique in eorum conspectu agni (vnde illis nuditati operiendæ parabatur vestis, *Gen. 3. v. 15. & 21. Apoc. 13, 8.*) *sacrificio, nihil æque necessarium fuit, atque promissis Dei habere fidem, promissumque liberatorem in omnibus sacrificiis intueri fide.* At filius eorum primogenitus, Cain, necessarii huius requisiti (fidei) oblitus, soloque opere operato Deo placere sperans, & sacrificia sua sine fide offerens, (*Gen. 4, 3. 4. 5, Heb. 11, 4.*) in labyrinthos incidit inextricabiles, cum tota impia, errores suos continuante, belluinamque præ spirituali eligente vitam posteritate.

præcise,
UM fuit.
si primi
obserua
radisun
Propo
symb
morte
runt
& m
neces
tum.
que
runt
arb
cras
um
illis
ta er
tura
te, D
cr

dabi

ouit! Filiorum vero vnus
uditate impium sibi specta-
ituens, quam diris execra-
efigi meruit? ostendit id ma-
n tota Chami progenie hunc
diem residens. Africanas &
inas intelligo gentes, bruta-
ntes vitam.

Neque hic delirationum finis.
licari cœpta Noachi sobole,
bi ad inuicem viderent ad diuer-
undi plagas discedendum, *iniue-
consilium* non necessarium *ex-
endi prius eo in loco ciuitatem &
rim, cuius fastigium cœlos attinge-
; idque inconsulto Deo, & ad cele-
andum nomen proprium* (Gen. 11, 4.)
*proposito peruicaci, non desistendi
cogitationibus suis.* (v. 6.) Quam
emeritatem vt compesceret Domi-
us, immisit menti eorum vertigi-
, linguæ autem confusionem; vt

 sese

6. *Cui progeniei corruptæ, tot modis per Patriarchas pios*, (Noachum præsertim continuis 120 annis) *vt se ad frugem reciperet, admonitæ, vnum fuit necessarium, resipiscere:* sed hoc postquam frustra seculis aliquot expectasset patientia Dei, *(1. Pet. 3, 20.)* versa in furorem vocauit aquas maris, illisque super faciem terræ effusis, deleuit impios omnes, animabus exceptis octo.

7. *His a diluuio seruatis* (Noacho cum filiis & coniugibus suis) *quid magis necessarium esse poterat, quam vt illi luxuriosum priorem mundum* (diluuio iam deletum) *pro speculo habentes, omnem vitæ mollitiem ac superfluitatem, aliasque leuitates fugiendo, seueram, grauem, sanctamque vitam agerent?* Illi vero quid? Noach ipse vino se dedens ebriusque factus, quam indecore se gessit; quantum filiis scandalum

dalum præbuit! Filiorum vero vnus ex patris nuditate impium sibi spectaculum constituens, quam diris execrationibus defigi meruit? ostendit id maledictio in tota Chami progenie hunc vsque in diem residens. Africanas & Americanas intelligo gentes, brutalem agentes vitam.

8. Neque hic delirationum finis. Multiplicari cœpta Noachi sobole, cum sibi ad inuicem viderent ad diuersas mundi plagas discedendum, *iniuerunt consilium* non necessarium *exstruendi prius eo in loco ciuitatem & turrim, cuius fastigium cœlos attingeret; idque inconsulto Deo, & ad celebrandum nomen proprium* (Gen. 11, 4.) *& proposito peruicaci, non desistendi a cogitationibus suis.* (v. 6.) Quam temeritatem vt compesceret Dominus, immisit menti eorum vertiginem, linguæ autem confusionem; vt

 sese

6. *Cui progeniei corruptæ, tot modis per Patriarchas pios*, (Noachum præsertim continuis 120 annis) *vt se ad frugem reciperet, admonitæ, vnum fuit necessarium, resipiscere:* sed hoc postquam frustra seculis aliquot expectasset patientia Dei, *(1. Pet. 3, 20.)* versa in furorem vocauit aquas maris, illisque super faciem terræ effusis, deleuit impios omnes, animabus exceptis octo.

7. *His a diluuio seruatis* (Noacho cum filiis & coniugibus suis) *quid magis necessarium esse poterat, quam vt illi luxuriosum priorem mundum* (diluuio iam deletum) *pro speculo habentes, omnem vitæ mollitiem ac superfluitatem, aliasque leuitates fugiendo, seueram, grauem, sanctamque vitam agerent?* Illi vero quid? Noach ipse vino se dedens ebriusque factus, quam indecore se gessit; quantum filiis scandalum

dalum præbuit! Filiorum vero vnus ex patris nuditate impium sibi spectaculum constituens, quam diris execrationibus defigi meruit? ostendit id maledictio in tota Chami progenie hunc vsque in diem residens. Africanas & Americanas intelligo gentes, brutalem agentes vitam.

8. Neque hic delirationum finis. Multiplicari cœpta Noachi sobole, cum sibi ad inuicem viderent ad diuersas mundi plagas discedendum, *iniuerunt consilium* non necessarium *exstruendi prius eo in loco ciuitatem & turrim, cuius fastigium cœlos attingeret; idque inconsulto Deo, & ad celebrandum nomen proprium* (Gen. 11, 4.) *& proposito peruicaci, non desistendi a cogitationibus suis.* (v. 6.) Quam temeritatem vt compesceret Dominus, immisit menti eorum vertiginem, linguæ autem confusionem; vt

6. *Cui progeniei corruptæ, tot modis per Patriarchas pios*, (Noachum præsertim continuis 120 annis) *vt se ad frugem reciperet, admonitæ, vnum fuit necessarium, resipiscere:* sed hoc postquam frustra seculis aliquot expectasset patientia Dei, (*1. Pet. 3, 20.*) versa in furorem vocauit aquas maris, illisque super faciem terræ effusis, deleuit impios omnes, animabus exceptis octo.

7. *His a diluuio seruatis* (Noacho cum filiis & coniugibus suis) *quid magis necessarium esse poterat, quam vt illi luxuriosum priorem mundum* (diluuio iam deletum) *pro speculo habentes, omnem vitæ mollitiem ac superfluitatem, aliasque leuitates fugiendo, seueram, grauem, sanctamque vitam agerent?* Illi vero quid? Noach ipse vino se dedens ebriusque factus, quam indecore se gessit; quantum filiis scandalum

dalum præbuit! Filiorum vero vnus ex patris nuditate impium sibi spectaculum constituens, quam diris execrationibus defigi meruit? ostendit id maledictio in tota Chami progenie hunc vsque in diem residens. Africanas & Americanas intelligo gentes, brutalem agentes vitam.

8. Neque hic delirationum finis. Multiplicari cœpta Noachi sobole, cum sibi ad inuicem viderent ad diuersas mundi plagas discedendum, *iniuerunt consilium* non necessarium *exstruendi prius eo in loco ciuitatem & turrim, cuius fastigium cœlos attingeret; idque inconsulto Deo, & ad celebrandum nomen proprium* (Gen. 11, 4.) *& proposito peruicaci, non desistendi a cogitationibus suis.* (v. 6.) Quam temeritatem vt compesceret Dominus, immisit menti eorum vertiginem, linguæ autem confusionem; vt

 sese

6. *Cui progeniei corruptæ, tot modis per Patriarchas pios*, (Noachum præsertim continuis 120 annis) *vt se ad frugem reciperet, admonitæ, vnum fuit necessarium, resipiscere:* sed hoc postquam frustra seculis aliquot expectasset patientia Dei, (*1. Pet. 3, 20.*) versa in furorem vocauit aquas maris, illisque super faciem terræ effusis, deleuit impios omnes, animabus exceptis octo.

7. *His a diluuio seruatis* (Noacho cum filiis & coniugibus suis) *quid magis necessarium esse poterat, quam vt illi luxuriosum priorem mundum* (diluuio iam deletum) *pro speculo habentes, omnem vitæ mollitiem ac superfluitatem, aliasque leuitates fugiendo, seueram, grauem, sanctamque vitam agerent?* Illi vero quid? Noach ipse vino se dedens ebriusque factus, quam indecore se gessit; quantum filiis scandalum

dalum præbuit! Filiorum vero vnus ex patris nuditate impium sibi spectaculum constituens, quam diris execrationibus defigi meruit? ostendit id maledictio in tota Chami progenie hunc vsque in diem residens. Africanas & Americanas intelligo gentes, brutalem agentes vitam.

8. Neque hic delirationum finis. Multiplicari cœpta Noachi sobole, cum sibi ad inuicem viderent ad diuersas mundi plagas discedendum, *iniuerunt consilium* non necessarium *exstruendi prius eo in loco ciuitatem & turrim, cuius fastigium cœlos attingeret; idque inconsulto Deo, & ad celebrandum nomen proprium* (Gen. 11, 4.) *& proposito peruicaci, non desistendi a cogitationibus suis.* (v. 6.) Quam temeritatem vt compesceret Dominus, immisit menti eorum vertiginem, linguæ autem confusionem; vt

 sese

ſeſe, mutuo non intelligentes, diſpergi neceſſe haberent. Et hæc fuit origo enatæ *multitudinis linguarum, tanquam perplexiſſimi omnibus terræ incolis Labyrinthi, in quo quadraginta iam ſeculis moleſtiſſime oberramus omnes,* non niſi cum aliquibus illis alicubi nobiscum habitantibus intelligere nos valentes: alii alibi, tanta populorum multitudo, muti nobis ſunt, & nos illis: non niſi intueri nos inuicem, & dehinc faſtidire poſſumus. Vere enim AUGUSTINUS: *Nemo noſtrum eſt, qui non libentius cum proprio cane, quam cum homine ignotæ linguæ verſari malit.* Hem perplexum, millies millenis anfractibus confractum & lacerum Labyrinthum!

9. *Multitudo hæc linguarum peperit multitudinem gentium, mox etiam religionum:* quolibet ſeorſim habitante populo peculiares Numen colendi ritus

tus & ceremonias, opinionesque excogitante maximam partem per *imagines & idola*; quæ deinde loco Dei coli, Deorumque appellatione cohonestari cœpta sunt. Vnde prodiit (πολυθεΐα) Deorum multitudo, cum fabulosissimis de Deorum inter se amoribus aut odiis, pugnisque ac bellis, narrationum figmentis; verbo, *multiformis & monstrosus Gentilismus*, aut, rursum per nugamentorum istorum vanitatem agnitam & fastiditam, *Atheismus*.

10. *Aliud mox prodiit monstrum, aliorum in alios sæuiendi consuetudo.* Cum enim populis, tam ab inuicem iam distractis, *vnum necessarium* optime potuisset seruire *concordia mutua*; per quam, limitibus ab inuicem honeste disterminatis, domi suæ quisque tranquille ageret: *illi varias in discordias prolapsi, pro vno illo communi La-*

 byrin-

byrintho mille alios minutos sibi fabricarunt. Cui rei vnus e Chami progenie initium dedit, *Nimrod*; concepto in ciuitate *Babel* ab aliis derelicta remanendi, inchoatumque gloriæ opus ad perfectionem deducendi proposito. Ad quod perficiendum, quia sibi multorum manibus opus esse videbat, cœpit e dispersis alios blanditiis alliciendo, alios vi adigendo, multitudinem ad imperia sua obsequiosam colligere, *hominum venator* inde dictus: & quidem *robustus venator coram Domino*; (Gen. 10, 9.) *quia in conspectu Dei ausus fuit, quod ante illum nemo, dominium homini super pisces, aues, animantesque terræ datum, extendere super homines*: quæ res infinitis confusionibus occasionem dedit per vniuersum genus humanum huc vsque. Humana quippe natura concreatæ sibi libertatis memor sub iugo

esse,

esse, nisi inuita, non potest, exitum quærens semper: quibus autem dominari allubuit semel, vt dominari possint semper, omnem vim adhibere, excogitareque fraudes ac dolos non intermittunt. Quæ bellorum inter homines omnisque violentiæ, fraudum & insidiarum origo est. *Quod enim complacuerat vni Nimrodo, mox placere cœpit pluribus:* vt iam Abrahami tempore (altero post Nimrodum seculo) Regum & Regulorum omnia essent plena, qui bello sese impetere tentabant. *(Gen. 14, 9.)* Ex quo tempore nihil crebrius est, quam truculentiæ istæ *regum & populorum, vi armata concurrentium, venationes, bella dico; terribilis iste ac interminabilis, simulque exitialis humano generi Labyrinthus.*

II. *Regi* (namque) *natura humana non recusat obsequium, sed humani-*

 ter

ter, non belluine regenti : quia homo homo est, non bellua. Quin & bellua *Bucephalus* irrationabiliter tractari noluit, sessorem asperum excutiens illico. Quo animaduerso Alexander ipse insiliit, rationabiliusque tractando equum ferocem tam mansuetum ac sibi obtemperantem reddidit, vt pater Philippus, in admirationem raptus, *tali regimini regna mundi deberi, exclamaret.* Æterno documento, *in regenda natura humana vnum necessarium esse placidam manuductionem; vim, coactionem, fraudes, insidias, spuria esse ad rationalis creaturæ obsequia impetrandum media.* Æterne igitur verum est : *Nulla salus bello* - - Sed populorum peccata flagellum hoc acre, mundique continuata insania Labyrinthum tam continuum huc vsque meruerunt.

12. *Pergamus ad alia, minores & varios*

rios gentium & familiarum Labyrinthos, vel sacræ historiæ ductu. Abrahamum patriarcham Deus, peculiari fœdere sibi iungens, aduersus errores, ærumnas, vitæque pericula omnino præmunitum reddiderat istis verbis: *Noli timere, Abram, ego protector tuus, & merces tua magna valde.* (Gen. 15, 1.) Item: *Ego sum Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* (c. 17, 1.) Ecce hic vnum necessarium (quanquam tri-vnum) Abrahamo fuit: (1.) Credere in vnum omnia potentem, (2.) Vnius illius facere voluntatem, (3.) atque ita faciendo nihil timere, sub illius scuto tutum esse. Fuitque ille, necessaria hæc obseruando, tutus omnino. Sed quia semel & iterum *a fide Dei, a vita Dei, a spe Dei* declinando peccauerat, etiam se in perplexitates coniecerat, nisi interuenisset Deus; vt in Ægypto *(cap. 12.)* & in terra Geraræ. *(cap. 20.)*

 13. Fi-

13. Filius etiam *Isaac* similiter peccans, similiter incurrerat; *(Gen.26, 7.)* sed quia in seruandis necessariis (fide, spe, obsequio Dei) constans fuit, custodiuit eum Deus. At primogenitus huius, *Esau*, primogenituræ ius pro pulmento vendens (h. e. necessarium cum non-necessario commutans) quantarum perplexitatum sibi, fratri, parentibusque suis author fuerit, legi potest in eius vita, *Gen. c. 25. ad* 36.

14. Populo suo Israël Deus in deserto necessariam prouiderat alimoniam, Mannam quotidie de cœlo pluentem: qua illi tamen ad satietatem vesci non contenti, carnes, pisces, cucumeres, pepones, allia & cepe flagitarunt. Sed hac eorum gulositate irritatus Deus iussit, eis per Mosen nuntiari: *Comedetis carnes, non vno die, vel duobus, aut decem, vel viginti, sed mensem integrum, donec exeat per nares vestras, & ver-*

& vertatur in nauſeam, eo quod repuliſtis Dominum, qui in medio veſtri eſt. Et fuit ita: egrediens ventus a Domino detulit a transmarinis locis coturnices, & demiſit ſuper caſtra. Et ſurgens populus congregauit coturnicum multitudinem. Sed adhuc erant carnes in dentibus eorum, cum furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis. *(Num. 11.) Ecce neceſſariis non contenti, non-neceſſariorum imprudenter auidi, in quam calamitatem ſeſe præcipitarunt?*

15. *Aliud in eodem populo exemplum triſte mox ibidem* (cap. 13. & 14.) *legere eſt.* Quomodo illi iam iam promiſſam terram, lacte & melle fluentem, ingreſſuri, inutili tamen metu correpti, non tantum pergere tergiuerſati fuerunt, ſed & (lapidibus Moſe & Aarone obrutis) duces ſibi conſtituere, in

 Ægy-

Ægyptumque reuerti voluerunt. Quo furore prouocatus furor Dei peste omnes delere, Mosen vero eorum loco magnam in gentem multiplicare voluit: nisi ardentissimis precibus Mosis mitigata fuisset ira Dei. Ita tamen, vt primarii murmuratores, pessimi consilii autores, mox percussi corruerent; aliis autem omnibus iurauit Deus, non ingressuros terram, mansuros in deserto annos 40. donec periissent omnes; filios demum ingressuros: quemadmodum & factum est. *Iam quisquis Deo diffidere, propriæ autem stultæ rationi fidere audes, &, quid sit tentare Deum, experire!*

16. Idem populus, in promissam illam terram potenti brachio Dei introductus, ibique annis 400. per excitatos diuinitus iudices gubernatus, ausus fuit talem hunc Dei ductum aspernari, vltimumque judicem suum, Samuelem,

lem ſic adoriri: *Conſtitue nobis Regem, vt nos iudicet, ſicut aliæ nationes habent,* (1. Sam. 8, 5.) Quo poſtulato contriſtatum Samuelem ita ſolatus fuit Deus: *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* (v. 7.) *Conteſtare iis, & prædic, qualia paſſuri ſint a Regibus ſuis; clamaturosque tunc præ anguſtia, & me non exauditurum eſſe,* &c. (v. 9. &c.) Fuitque ita: excepto Dauide, aliisque duobus vel tribus e poſteritate illius, alii omnes (vtriusque regni) fuerunt oppreſſores populi & purioris diuini cultus, donec ſeipſos cum regnis ſuis euerterent. *Negat iam aliquis, homines fortunæ ſuæ fabros eſſe; & quidem peſſimos fabros, quoties non contenti neceſſariis* (in quibus Deus & natura nunquam deficiunt) *ſtulto temeritatis pruritu ad non-neceſſaria proruunt?*

17. *Dauid omnium Regum pientiſſimus*

mus (quem Deus virum secundum cor suum appellare dignatus fuit) *etiam aliquoties illicita ausus, periculosas non effugit tricas.* Vt cum adulterii facinus, huiusque tegendi causa cædem committere non verecundatus, terribilia ista audire meruit: *Quare contemsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? Vriam Hettæum percussisti gladio Ammonitarum, & vxorem ipsius accepisti in vxorem tibi. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quod despexisti me*, &c. (2. Sam. 12, 9. &c.) Auertit quidem ille, seriam agens pœnitentiam, denuntiatas domui suæ pœnas, at non ex toto; mox inter filios & filias suas incestus, cædes, & alia horribilia spectare coactus. *(cap. seqq.)* Cum vero iterum temere (post impetratas Dei beneficio plenas de hostibus victorias, & vndique

que pacem & securitatem) exercitus suos numerari (mero sibi complacendi studio) iuberet, iratus iterum Deus optionem illi (& regno suo) trium malorum obtulit, aut famis triennalis, aut belli trimestris, aut pestilentiæ triduanæ. Vnde ille spiritu coarctatus, *angustiæ mihi omni ex parte; melius tamen est incidere in manus Domini, quia misericordiæ eius multæ sunt*, exclamauit. Immisit ergo Deus pestilentiam; quæ vno (nondum integro) die septuaginta millia virorum abstulit. (2. Sam. 24. & 1. Chron. 21.) *In speculum, quomodo sibi Labyrinthos homines ipsi, necessariis non contenti, temere ad vana proruentes, fabricent.*

18. Salomonem errores suos confitentem, miseriasque deplorantem, audiuimus antea: sed quæ causa? Nulla alia, nisi quod non contentus sapientiæ dono, etiam, quid stultitia esset, exploratum,

ratum habere voluit, (*Eccles.* 2,3.) imitator factus Adami, quem etiam scientiæ boni & mali cupido incesserat. Ecquid autem vterque inde, nisi vt exquisitum stultitiæ spectaculum fieret, retulit? Sicuti hactenus fiunt, quicunque bonis boni Dei donis non acquiescentes, ipsi sibi varia vana desideria figunt, illaque sequuti in salebras & aspreta, scrobesque & foueas incidunt, aut difficilem inde inuenientes exitum, aut nullum. Vt *Roboam*, *Salomonis filius*, qui, si prudens senile consilium sequi, lenibusque verbis subditorum animos demulcere voluisset, regnum retinuisset. Sed quia contrariam inire viam (stulto iuuenili consilio) elegerat, regnum amisit: recuperare id postea nec vi, nec vllo meliore consilio valens; Labyrinthumque perplexum posteris suis, bella cum regibus Israël velut perpetua, relinquens.

19. Ve-

19. Verum quid hæc vltra persequi opus? *Ex omni sacra & profana Historia, quotidianaque hominum vita exemplorum myriades colligi possunt, omnium humanarum* errationum (milleformes licet sint) *& omnium molestissimarum* fatigationum (quam diuersæ illæ sint) *& omnium inanium spei delusionum, vnam hanc infelicem semper subesse radicem: quod homines, omissis NECESSARIIS, NON-NECESSARIA cogitant, loquuntur, agunt.* Hinc illud: *Necessaria ignoramus, quia non-necessaria didicimus.* Et ad huius imitationem: *Necessariis caremus, quia non-necessariis colligendis operam dedimus. Necessaria non agimus, quia non-necessariis nos occupamus. Necessarios fines non attingimus, quia, non-necessariis mediis insistentes, ad impertinentia deuoluimur. Atque ita optimis excidimus votis,*

votis, (etiamsi obuersentur animo) *quia per inferiora bona dilapsi a primariis retardamur.*

20. Crassissimo adhuc exemplo communem mundi stultitiam ob oculos ponere libet; si forte sic aliquo modo, vt homines festucas & trabes suas in oculis notare, iisque amotis melius prospicere incipiant, obtinere liceat. Scribit vir sapiens IOHANNES GEILERUS (in libro, cui titulum *Navis Stultorum* dedit) *notum sibi fuisse hominem delirum, baculis seu scipionibus ita delectatum, vt, vbi cunque lignamentum baculo simile videret, tolleret;* fascem eorum aliquando tantum portantem, vt vix incederet; interrogatumque, cur id faceret, respondere solitum: *Iter facienti vtilem esse baculum ad sustentandum se, & abigendum canes.* Non errabat de baculo verba faciens, vtilem esse

esse viatori supellectilem; sed errabat, non expendens, *vnum esse vsui, plures oneri.* Quam hominis fatuitatem si cognoscit auarus, agnoscat & suam; qui, diuitiarum modum ignorans, bona vitæ huius vltra necessitatem aggerat, superflua de his sollicitudine labores & ærumnas vitæ sibi multiplicans. Et quid aliud agunt literatorum quidam, *eruditionis supellectilem*, libros, *vltra modum quoque aceruando*? aliquos forte vix vnquam inspecturi. Aut si per omnia sese volutaturi, delirium inde potius (aut certe confusam mentem) quam ordinatæ sapientiæ lumen habituri. Et sic alibi per omnes status *baculorum ridiculi baiulatores*, *Labyrinthorumque suorum fabricatores* spectari possunt.

21. *Felix, qui vel in senectute veras de rebus nanciscitur opiniones*, inquit PLATO. Felices igitur nos senes, si vel

ſi vel in extremo vitæ (Labyrinthis mundanis, Siſypheis ſaxis, Tantaleisque illuſionibus, ſatis diuexati) cum Salomone reſipiſcimus, ſuperfluitatumque vanitatibus *Vale* dicto, ad ſola vitæ (huius & futuræ) NECESSARIA ſtudia conuertimus. Felix etiam foret ipſe ſeneſcens, iamque ad exitum feſtinans mundus, ſi vel tandem, tandem, poſt omnia omnium præteritorum ſeculorum ludibria, oculos aperire, melioraque melioris vitæ præſidia (quæ liberaliter adhuc bonitas DEI offert) ſerio circumſpicere, oblatisque vti, frui incipiat. Ad quam rem ſi quid monitiunculæ noſtræ conferre poſſunt, eia tentemus.

CAPUT

CAPUT III.

Demonſtrata neceſſitate Artis diſtinguendi inter neceſſaria & non-neceſſaria, quid ſit, quod Neceſſarium dicitur, & cur in vnaquaque re Vnum neceſſarium quæri iubeatur, & quomodo quærendum, vt inueniatur, oſtenditur.

§. I.

PAtet e præmiſſis, (1.) *mundum reuera eſſe Labyrinthum errationum, fatigationum, illuſionumque pleniſſimum.* (2.) *Et homines ipſos eſſe infortuniorum ſuorum fabros.* (3.) *Idque inertia ſua, neceſſaria & vtilia ſibi obſeruare neſciendo, non-neceſſariis vero ac noxiis ſeſe intricando.* Vnde ſequitur, ſcire ſeligere neceſſaria præ non-neceſſariis, & vtilia præ noxiis, *artem artium fore, omnis humanæ prudentiæ & baſin, & faſtigium.* De qua

qua artium arte tria mihi capite hoc demonſtranda ſumo.

I. Nunc ſub mundi finem magis neceſſariam eſſe, ac vnquam.

II. Nunc ſub mundi finem difficiliorem eſſe factam, ac vnquam.

III. Difficultates tamen iſtas ſuperari, & artem aliquam non errandi, non fruſtra laborandi, non laborum fructu excidendi conſtrui poſſe.

2. Neceſſitas artis huius inde patet, quod *vita hominis iter eſt a præterito per præſens, in futurum gradatim procedens, ſemperque in alia quædam noua prius ignota loca, res, perſonas incidens.* Sic ergo ignotum iter facienti opus eſt aut duce fido & perito, aut indice aliquo certo, quid obſeruandum ſit, ne a' tramite recto aberretur, monenti; præſertim ſi biuia, triuia, multiuia occurrant, ſicut in vitæ curſu ſemper obueniunt. Oſtendo

do id. Homo primus in Paradiso biuium ante se habuit, *arbores duas*, cum mandato & vetito. Prudentia itaque fuit opus, vtrum hoc an illud expediret. Sed longe maiore circumspectione opus fuit posteris, longe plura ante se facienda & fugienda habentibus, cum variis superadditis præmonitionibus & præcautionibus. Quæ, quia tandem in immensum creuerunt, mundusque perplexissimorum Labyrinthorum vndique plenus factus est (vt, quoquo te vertas, in multiuia cogitationum, sermonum, actionum, factionum, hæsitationum, lapsationumque incidas) *nihil iam sub cœlo tam necessarium est homini, atque scire, quid sibi sit necessarium.*

3. *Estque circumspectatio hæc* (quanto magis) *difficilis facta per illam ipsam superfluorum & noxiorum* (*super omnia præteritorum seculorum exem-*

 pla

pla) multiplicationem. Primo homini ars hæc non tam difficilis fuit: quia errandi occasiones (præter vnam illam circa arborem vetitam) non fuerunt. Salomonis tempore quia homines, negotia, curiositates multiplicata erant, multiplicati etiam Labyrinthi, & in illis errores: non vulgi duntaxat, sed ipsius etiam sapientissimi Salomonis. *Quid ergo de nostro dicendum æuo?* vbi omnia millies plura & intricatiora facta sunt, quam Salomonis tempore. Impossibile videtur omni humano ingenio exitum inuenire: solatur tamen illud Christi: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* (Luc. 18, 27.) Et promissa Dei varie iterata, in fine gubernationis diuinæ omnia fore valde bona, sicut in fine creationis fuerunt. *(Gen. 1, v. vlt.)*

4. *Addit spem ipsa humana industria,*

ſtria, quæ tot particularia (olim impoſſibilia viſa) iam eueſtigauit, & in artem redegit; etiam vniuerſalem hanc prudentiam, *quosuis mundi Labyrinthos eluctandi*, in artem redigi poſſe tandem. Cuius ſpei trinum eſt fundamentum. (1) *Quia errantium ante nos tot habemus exempla, quæ nos non errare docere poſſunt.* Certe enim vbi alium cecidiſſe video, me cadere, non eſt neceſſe: quia conſpectum ſic iam præcipitium declinare poſſum; aut ero ipſo bruto brutior. Hinc illud: *Felix, quem faciunt aliena pericula cautum*; & ſimilia ſapientum monita. (2) *Quia Salomon, errorum humanorum cauſam oſtendens, oſtendit ſimul remedium, dicens: Hoc inueni, DEUM feciſſe hominem rectum, ſed ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus.* (Eccleſ. 7, 30.) Quaſi dicat: Multiplicitas homines

perdidit, in quam, curiositate prolapsi, sese intricarunt : ergo redeant ad simplicitatem, vt se extricent. (3) Sed melius adhuc cœlestis Salomo, non tantum *a multiplicitate ad paucitatem*, sed etiam *a pluralitate ad vnitatem* omnia reuocat illo vere diuino, *VNUM est NECESSARIUM*, seu, vt alii volunt, *VNO est OPUS*. (Luc. 10, 42.) O quantum compendium, si pro innumeris vnum sufficiat! Hoc ergo VNUM NECESSARIUM in vnaquaque re inuenire si sciuerimus, veram omnes Dædaleos labyrinthos, omnes Sisypheas fatigationes, omnesque illusiones euitandi habituri sumus artem.

5. Scio, Polypragmones (multis negotiis deditos) quærere in multis etiam occupationibus non errandi, non succumbendi, non speratis bonis excidendi artem, habereque, se illam

æsti-

æstimare multos audenter confidentes. Sed fallacem esse illam, germanorum ista diuerbia ostendunt: Die besten Schwimmer ertrincken; Die besten Steiger fallen sich zu todte; Die besten Fechter werden erstochen; rc. (h. e. *optimi scansores cadunt, optimi pugiles confodiuntur.*) Nempe quia fidendo arti suæ multis sese casibus audacter exponunt: casus autem, quem sæpe transit, aliquando inuenit. Casus ergo metuenti tutius fuerit multitudinem & confidentiam vitare, *vnum necessarium sequi.*

6. Vt intelligar melius, dicam, humanam circa negotia solertiam duplicem esse. *I. Suscipere ad agendum multa, cum sollicitudine multa. II. Necessaria suscipere tantum, cum debita cura.* Priorem appellari posse industriam *Marthanam*, multa satagentem; posteriorem *Marianam*, vnum

quid selectum agentem. *Martha* enim per totam domum discursando, quomodo hospitibus omnibus omnem exhiberet commoditatem, prospectabat: *Maria* vero vnum inter omnes respectando, Dominum, ex illius ore verba vitæ haurire auida, ad illius consedit pedes, collaudataque a Christo præ sorore fuit. Vnde binam illam solertiam (Marthanam & Marianam) appellare quoque possumus *Salomoneam & Christianam.* Salomo siquidem omnia experiri sibi permisit, bona & mala, (*Ecclef.* 1, 1. 3. 10.) Christus nihil, nisi vt, reprobato omni malo semel, soli bono adhæreret semper. (*Ies.* 7, 15.) Et hæc est illa Mariana & Christiana ars, *eligendi partem optimam, quæ a nobis non auferatur; ars separandi pretiosa a vili, seu necessaria a non-necessario.*

7. Quam

7. Quam artem, vt ante illius vſum addiſcamus, præcognoſci neceſſe eſt:

I. Quid ſit, quod neceſſarium dicitur, & quomodo a non-neceſſario differat?

II. Quo ſenſu non niſi VNUM NECESSARIUM dicatur?

III. Quomodo in vnaquaque re inueniendum veniat?

8. *NECESSARIUM eſt, ad aliquid efficiendum, aut impetrandum, requiſitum primarium, ſine quo alia omnia fruſtra eſſent:* quaſi fundamentum, cui ſtructura tota inſiſtit, &, quo amoto, ædificium rueret totum. Breviter, *ſine quo res nec eſſe poſſet.* Dicitur alias *principale, præcipuum, primarium, potiſſimum, fundamentale, radicale, capitale, eſſentiale;* ſiue ipſa *eſſentia ſeu ſubſtantia rei, caput, radix, fundamentum, baſis, neruus, medulla,* ἔργον. Cuius reſpectu cætera,

quæ adsunt, *non-necessaria, vel impertinentia, aut etiam secundaria, accessoria, accidentalia, additamenta, appendices,* πάρεργα dicuntur. Inter quæ differentia hæc est, quod *necessarium præcise facit ad esse, non-necessarium tantum ad aliter esse,* melius aut peius. Exempli causa, *RADIX* in arbore est requisitum necessarium; quia sine radice arbor neque stare posset, neque crescere, neque ferre fructum. *Rami* autem, *folia, flores, fructus* sunt partes arboris secundariæ, quippe quibus quandoque destituitur, arbor tamen esse non cessat. Sic in artificialibus; si quæratur, *picturæ quidnam sit maxime necessarium?* respondebitur, *rem quamuis ad viuum sistere posse oculis, vt ex ipso picturæ conspectu agnosci possit ipsa res picta.* An pulchri sint colores, & appicta ornamenta hæc vel illa, ad essentiam rei nihil

hil facit. Et sic vbique essentialia ab accidentalibus, necessaria a non-necessariis distinguenda sunt; quia, nisi distinguantur, confusio fit.

9. Notandum vero, *non-necessaria* iterum distingui posse in *vtilia*, *inutilia*, *noxia*. *Vtile* dicitur, quod, tametsi non faciat ad esse, facit tamen ad melius esse: vt alimentis vti suauioribus, aut salubrioribus. *Noxium*, quod facit ad peius esse, aut non esse: vt alimentis vti insalubribus aut venenatis. *Inutile*, seu *indifferens*, quod nec prodest, nec obest: vt pane vti triticeo vel siliginaceo, carne vesci bubula vel vitulina, ouina vel caprina, &c. dum vtraque nutrit.

10. Quod autem Dominus dicit, *vnum esse necessarium*, intelligitur *aut præcise vnum*, *aut collectiue*. *Præcise vnum*, in correlatis, vbi vnum vni, aut bina binis respondent. Ex. gr. *vni cor-*

corpori viuo necessarium est caput vnum; & vni capiti corpus vnum. (Nam vni corpori dare capita plura, aut vni capiti corpora plura, monstrum faceret.) Item, *vni capiti satis est vnus pileus, & vni pileo caput vnum.* Sed *manus*, quia sunt duæ, opus duabus habent *chirothecis*; *pedes* duo, duobus *calceis*. Et sic omnia proportionate, vt, quicquid vltra necessitatem est, superfluum sit, non vtile, non decorum, *&c.*

11. *Collectiue vnum* dicitur, cum se totum essentiale in partes essentiales diuidit plerumque tres. Ex. gr. *Ad actionem quamuis semper tria sunt necessaria. I. Scopus* vtilis, actionem prouocans. *II. Media* possibilia, actionem non fore inanem, promittentia. *III. Modus certus mediis vtendi* sic, vt actio scopum assequatur. *De Mediis* rursum si quæstio sit, quænam ad actionem

nem necessaria sint, respondebitur tria hæc: *I. Agens, II. Agibile, III. Actorium.* *Agens*, seu efficiens est, operator ipse: (nam nihil seipsum facit.) *Agibile* ipsum agendum opus, seu materia, cui introducenda est forma. *Actorium* est instrumentum agendi. *Iterum in agente quænam necessario requirantur*, si quæris: respondebitur tria: *Posse, Scire, Velle.* *Posse*: vt vires habeat ad opus sufficientes. *Scire*: vt artem operandi ne ignoret. *Velle*: vt operari ne pigretur. Quæ tria necessario requiri, exemplo pateat. Iubes *mutum canere?* frustra es, non potest, voce destitutus. Iubes *rusticum artis rudem*? frustra es, nescit. Iubes *Musices peritum*? sciet quidem & poterit: nisi tamen volet, etiam cantus non procedet. Et sic vbique.

12. Sed *quomodo vnum illud necessari-*

ri-

rium in tantu non-necessariorum turba reperitur? non frustra quæritur: hoc enim est, quod plerique ignorando æternos labyrinthos oberrant, æterna saxa volutant, æternam bonorum esuriem patiuntur. *Quid ergo faciendum?* Attendenda est cuiusque rei definitio vera: tum rei finis, seu scopus: & per quid ista suo fini reddatur maxime idonea. Hoc enim si repertum erit, illud ipsum ei primo & summe necessarium erit. Exemplis rem ostendo. *Terra ad quid est?* vt nos, ædificiaque nostra sustentet. Ergo illi soliditate opus: quia, si mollis & paludosa esset, fini suo idonea non esset. *Aqua cui vsui data?* vt nos humectet. Ergo humiditas, liquiditas, fluiditas illi vnum necessarium sunt: his destituta (vt dum in glacie ligantur) non præstat vsum suum, nisi glacie rursum liquefacta. *Aër* ad quid

quid est? vt respirationi rerum seruiat. Ergo illius vnum necessarium est, spirabilitas: & per consequens subtilitas & puritas. *Ignis* ad quid? vt nos calefaciat, resque crudas coquat, aut liquefaciat, &c. Ergo illi calore opus, quanto gradu ad hanc vel illam rem opus: & quidem actuali calore, non ligato in silice, vel alio occulto fomento. *Alimenta nostra (cibi & potiones)* quid sunt, & ad quid? Ad reparandum in corpore nostro humores vitales, & spiritus, qui quotidiano calore absumuntur, & euaporant. Ergo necesse est, esse succi boni, & spirituosa, vitalibus nostris humoribus & spiritibus proportionata. Et sic per vniuersam rerum naturam.

13. Veniamus autem ad horum praxin, vt, in quærendo ex humanis *errationibus*, *fatigationibus*, *ludibriis-*

que exitu, artis huius veritatem experiamur.

Caput IV.

Regula Christi de VNO NECESSARIO, quam sit obseruatu necessaria; quippe quæ sola e labyrinthis mundanis exitum ostendere, ab oneribus mundanis leuamen adferre, in esurie mundana saturitatem præstare potest; & quomodo id speciali applicatione, verbis & exemplis docuerit Christus ipse.

§. I.

QUod de regno cœlorum pronuntiauit Dominus, *simile esse grano sinapi, quod cum sit minimum inter semina, postquam tamen creuerit, maius fit omnibus oleribus, adeoque fit arbor, sub cuius ramis habitent volucres cœli*; (Matt. 13, 31.) hoc idem

idem de præſenti Chriſti regula (DE VNO NECESSARIO) dici poteſt, vtut parua ſit in oculis hominum, fructus tamen eius explicare ſe ad cœlos vsque & in ipſam æternitatem. Quod vt euidens fiat, videamus *primum*, quomodo Chriſtus ipſe granum hoc ſuum ampliſſimos in ramos (in vſum volucrum cœli, h. e. fidelium ſuorum, cœli candidatorum) diduxerit. *Deinde*, quomodo ipſi nos (optimi magiſtri imitatione) regulam hanc eius ad omnia noſtra accommodare queamus, & quam eximio vſu.

2. Dico igitur, Chriſtum per hanc ipſam breuiſſimam regulam artem triunam docuiſſe magnam: *I. eluctandi omnes errorum labyrinthos; II. ſuperandi omnia laborum ſaxa; III. aſſequendi omnes honeſtarum voluptatum delicias.*

3. Si quis enim vbique in negotiis

 (1.) non-

(1.) non-necessariis immiscere se caueat; (2.) solis necessariis vbique attendat; (3.) eaque ad vnitatem (quantum potest) reuocando simplici suæ viæ insistat: annon tricas (a confusa multitudine venientes) facile declinare poterit?

4. Atque si quis in rebus agendis (1.) non multa simul agenda sumat, præsertim parerga; sed (2.) sola necessaria ἔργα, aut ἔργον vnum vrgeat; (3.) illique soli, donec peractum sit, instet: annon agendorum ante se cumulum decrescere, actorum a tergo struem semper surgere videbit?

5. Sicut & in captandis vitæ bonis, prouenientibusque inde gaudiis: si quis (1.) non-necessariis non inhiet; (2.) neque necessariis visis multis simul; (3.) acquiescatque præsentibus, vt se dant; ille non facile ob frustrata desideria turbabitur, appetitus suos

vbi-

vbique moderari gnarus. Hinc illud EPICTETI, *in vita versandum est vt in conuiuio. Si quid circumferendo ad te perlatum fuerit, modeste manu extensa accipito; nondum adest? appetitum longe ne extendito; præteriit? ne detine.* Mire pulchre! Sed riuulus est, a sapientiæ fonte demanans, Christo: qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat (*Ioh.* 1, 9.)

6. Christus tamen specialibus etiam regulam suam (*de obseruando vbique vno necessario*) explicat & adplicat; vt, ad extricandum se quibusuis labyrinthis, SIMPLICITATIS FILUM vbique commendat aduersus omne multiplex, aut nimium. Ostendam id paucis exemplis, vt reliqua intelligi queant facilius. (1.) In humanarum consuetudinum tricis ad primæ circa rem quamque institutionis

ſimplicitatem reuocare ſolitus fuit, dicens: *ab initio non fuit ſic*; (Matth. 19,8.) (2.) A polypragmoſynæ vitio ſuos reuocare proprii muneris inculcatione, vt: *Reges gentium dominantur, &, qui poteſtatem habent, clementiſſimi domini vocantur. Vos autem non ſic: ſed, qui maior eſt inter vos, fiat minor*,&c. (Luc.22, 25.) (3.) Ab *ambitione* ſuos abducturus, puerum in medio eorum ſiſtit, hunc imitari docens. *(Matth. 18, 2.)* (4.) Ab *auaritia* dehortaturus, intueri iuſſit *volatilia cœli, & lilia campi*: quomodo a patre cœleſti nutriantur, & veſtiantur, citra propriam anxiam ſollicitudinem. (*Matth. 6, 25.*&c.) (5.) A *curioſa præmeditatione* futuri periculi ad ſpem reuocabat promiſſi auxilii. *(Marc. 13, 11. & Luc. 21, 14.)* Et ſic innumera.

7. *Ad leuandum vero ſe irritis laborum fatigationibus quid* opus? Suadebat

debat terrenarum rerum nimiam deponere ſollicitudinem, in paternam DEI de nobis curam recumbendo; (*Matth. 6, v. 25. & 32.*) vel etiam res ipſas (bonas in ſe alioquin, ſi tamen moleſtarum curarum cauſa ſint) abiicere: vt cum diuiti adoleſcenti virtutum ſtudioſo, onere tamen curarum de bonis ſuis impedito, diceret: *vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me*; (Matth. 19, 21.) aut ſi curæ officii ſint, quæ deponi non poſſunt, induſtriam & laboris conſtantiam ſuadendo, donec *labor labore ſuperatus ſit*; vt, cum tergiuerſanti cuidam ſequi ſeſe, niſi prius alia quædam expediiſſet, diceret: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, rurſumque reſpiciens, aptus eſt regno DEI* (Luc. 9, 62.) q. d. age, quod agis, ſepone remoras. Ita ipſe, redemptionis opere ſuſcepto, nullis laboribus

 frangi

frangi se passus fuit, donec in morte dicere posset, *consummatum est*. (Ioh. 19, 30.)

8. Ad assequendum denique concupita bona; iisque fruendum, quomodo regulam suam (de Vno Necessario) applicabat Dominus? *Primo, ad non-necessaria non extendendum esse appetitum, docendo.* Vt cum Rex terrenus fieri nollet, ad hoc non missus; *(Ioh. 6, 15.)* nec diuidere hæreditatem, non constitutus politicus iudex. *(Luc. 12, 14.)* Item cum, pro sustentatione vitæ a Patre cœlesti non nisi PANEM QUOTIDIANUM esse petendum, doceret: h.e. non cupedias, aut delicias, gulæ irritamenta; sed quod simplicissimum haberi potest. *Deinde, acquiescendo iis, quæ paterna DEI cura suppeditat, qualia qualia sint.* Quod & ipse praxi exercuit perpetua, & docuit discipulos

suos.

suos. Hinc illud Apostoli: *Didici, in quibus sum, iis contentus esse. Scio & satiari, & esurire; abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me corroborat, Christo.* (Phil. 4, 11. 12. 13.) *Tandem, assuefacere se ad inopiam potius & delectabilium rerum carentiam, quam ad præsentem semper copiam vel sufficientiam.* Ita enim Christus, cum esset diues, pauper fieri voluit propter nos, (h. e. ad exemplum nobis dandum, 2. *Cor.* 8, 9.) ieiunareque sæpe, etiam ad quadragesimum vsque diem: licet virtute sua diuina panes creare posset, vt in pascendis aliquoties famelicis turbis demonstrauit. Et pro sibi proposito gaudio sustinuit crucem, contemptaque ignominia, consedit ad dextram DEI. (*Heb.* 12, 2.) Quem imitati fideles discipuli sui, Apostoli, *exhibebant seipsos vt ministros DEI, in multa patientia,*

in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis; (2. Cor. 6, 4. 5.) *per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes: vt impostores, & tamen veraces; vt ignoti, & tamen noti; vt morientes, & tamen viuentes; vt tristes, semper tamen gaudentes; vt egentes, multos tamen locupletantes; vt nihil habentes, omnia tamen possidentes.* (v. 8. &c.) Quam ecce alia hæc est, quam Tantalorum mundi cantilena.

9. Patet inde, quam compendiosa sit Philosophia Christi, veræ felicitatis via, *vnire se intra se & cum DEO, in DEO, non diffundendo se extra se per res: vt si quid necesse est, non vltra id, quod necesse est.* Quod quisquis a Christo didicit, non facile a meta sua, beatitudine, aberrat; non facile obuenientibus laboribus succumbit;

bit; non facile desideriis suis, (mentis tranquillitate conscientiæque gaudiis) frustratur. *Contentus* ex doctrina Christi *vno DEO, & vno inter se & DEUM mediatore, Christo; vnoque interno doctore, consolatore, confortatore, Spiritu Sancto; & vno lumine fidei, vnaque spei anchora, oratione ac suspiriis ad DEUM perpetuis; & vno opere bono sibi demandato, charitate erga proximum, quacunque parte iuuare queat quemcunque: patientia denique in aduersis; aut, vt ne pati quidem etiam necesse sit, resignatione totali voluntatis suæ in voluntatem DEI.* Quisquis enim perfecte se resignauit beneplacito DEI, ille bona & mala, gaudia & dolores, vitam & mortem indifferenter habet, tanquam vnam, solam, veram, ad felicem e miseriis exitum DEI, miseratoris sui manuductionem.

10. Nos vero, si non degeneres discipuli sumus eius, quem profitemur magistrum, eia pergamus eius insistendo vestigiis, auream eius, de VNO NECESSARIO, regulam specialibus nostris applicare negotiis. Hoc est, circumspectare, *quomodo (1.) homo quisque seorsim; (2.) & iuuentutis quisque cœtus seorsim, schola; (3.) & respublica quæuis; (4.) & ecclesia quæuis; (5.) & denique mundus totus* (si salubria vellet audire consilia) *Labyrinthis suis, Sisypheis saxis suis, Tantaleisque ludibriis suis* (quæ nunc omnia patiuntur omnes) *liberare sese queant cito, tuto, æternoque gaudio suo.*

CAPUT

Caput V.

Qua ratione hominum quisque regulam Christi, de VNO NECESSARIO, in seipso adhibere possit sapienter, vt sibi per totam vitam, & in morte, & post mortem bene esse queat, exemplis ostenditur nonnullis.

§. 1.

NOnnullis dico: quia in re infiniti vsus diffundi opus non est, paucis exemplis regulæ aperire sensum, & late patentem ostendere vsum sufficit. Et primo quidem respectu sui ipsius, præsenti capite.

2. Si quæras, *quid homini primo & maxime necessarium sit?* respondebitur, IPSE SIBI: *vt discat seipsum nosse, seipsum regere, seque ipso vti, frui.*

3. *Quid hæc sibi volunt?* Primum homo

homo ſeipſum debet noſſe, vt ſciat, ſe non ſimpliciter creaturam eſſe, (vt cœlum, terra, ſol, arbor, elephas, &c.) ſed medium quid inter creatorem & creaturas: quod ſit tanquam creatoris ſui imago, vicarius, ſeruus, creaturarum vero gubernator & Dominus; paruus mundus, & paruus DEUS.

Secundo debet ſcire *ſeipſum regere*, tanquam paruus DEUS paruum ſuum mundum. Hinc illud ſapienter a ſapiente dictum: *Si vis eſſe rex, dabo tibi regnum, rege teipſum. Demum* opus eſt homini ſcire *ſeipſo uti, frui*, h. e. nulla creatura magis niti, quam ſeipſo; neque delicias ex vlla creatura quærere maiores, quam ex ſeipſo; iuxta illud: *Orbis quisque ſibi eſt, nec te quæſiueris extra.*

4. *Quomodo ſibi ipſi orbis eſt homo?* R. Omnia ſua intra ſe habens, nihil ſui extra ſe relinquens, inſtar circuli ſeu ſphæ-

ſphæræ. Optime igitur ſeipſum intra ſeipſum inuenerit homo, non alibi: quia tum facile quoque intra ſe Deum inueniet & omnia. Deum eo modo, quo res quæque in ſua imagine inueniri ac ſpectari poteſt: omnia reliqua eo modo, quo res e veſtigiis ſuis agnoſci ſolet, quippe creaturæ omnes veſtigia ſunt creatoris. *Regere vero ſcipſum ſi ſcierit homo*, ſcierit & alium hominem, vtpote natura ſimilem, ſimili regimine opus habentem. Si hominem, etiam homines: quia omnes ad eandem formam facti ſunt. *Si denique frui ſeipſo didicerit homo*, ſciet etiam frui aliis bonis ſibi deſtinatis. *Seipſum itaque noſſe, regere, poſſidere, ac vti, frui, eſt primum neceſſarium homini.*

5. Explicatius iſta profer, ſi potes? R. Hoc volo, vt homo beatitudinem ſuam a ſeipſo, eſſentialibusque partibus

bus suis, *corpore, animo, anima*, expectet potius, quam a rebus externis accessoriis, *alimentis, vestitu, habitaculis, opibus, fauore hominum*, & similibus vitæ appendicibus, quæ plerumque magis oneri, quam leuamini; impedimento, quam adiumento; noxæ, quam vsui sunt, imperite adhibita. Augent quippe valide Labyrinthos vitæ, & Sisyphea saxa, Tantaleaque ludibria; beatitudinem veram eo modo indubitanter turbantes. Sapies igitur, quisquis essentiales tui partes (*corpus, animam, spiritumque immortalem*, quem præ cunctis visibilibus creaturis accepisti) in pretio habens, illas esse tuum peculium (ceu agrum, hortum, paradisumque tuum) persuasus, colas, indeque desideratæ beatitudinis tuæ fructus colligas.

6. *Ad colligendum istos ex me ipso fructus, quid necessarium erit*, vt intelligas,

ligas, *vnde tibiproueniant* : &, quid faciendum ſit, *vt felicius proueniant* ?

7. *Doceri id cupio.* Omne tuum bonum, o homo, ex imagine Dei (ad quam creatus es) tibi fluit : fluetque tanto felicius, quanto propius te aſſimilaueris archetypo tuo, DEO. Id quod totis viribus conari debes, ſicuti te ipſa innata cordis tui (& omnium hominum) deſideria iſtuc ſtimulant. Quemadmodum enim DEUS *I. eſt & viuit*, *II. poteſt*, quicquid vult, *III. ſcit* omnia, *IV. & intelligit*, quæ ſcit, *V. vult & eligit* bona, *VI. operatur*, *quicquid vult*, *VII. poſſidet* omnia, *VIII. fruitur* omnibus, *IX. eminet* inter creaturas ſuas, *X.* quibuscum & *colloquitur*, ſeipſum eis reuelans, *XI. amatque* illas, & ab illis redamari vult, *XII. beatus* bonorum ſuorum plenitudine in æternum : ita etiam homo naturaliter deſiderat, *1. viuere*, *2. vigere ac valere*,

3. ſcire,

3. *ſcire*, quæ ſunt, 4. *& intelligere*, 5. *&*, quæ ſibi placent, *eligere*, 6. ac pro aſſequendis, quæ eligit, *moliri*, quicquid poteſt, 7. dum *habere* multa, 8. & *frui* potitis, 9. eminereque ac *in honore eſſe*, 10. & eſſe *eloquentem*, ad cogitata ſua communicandum cum aliis, 11. habereque homines ſibi *fauentes*, 12. & Deum *propitium*, ad plenam felicitatis ſuæ ſecuritatem. Monſtrum hominis fuerit, non homo, ſi quis horum cura non tangatur.

8. Nec homini deeſt omnia illa obtinendi potentia, ſi addita deſideriis media recte obſeruentur. Nam (1.) *vita corporea tota eſt res organica*, ſeruari aut corrumpi apta, ſeruatis aut corruptis organis; (2.) *ſicut & valetudo ipſa*; (3.) *ſciri omnia poſſunt ſenſus quinque ſanos habenti*, quia his totus ſubiacet mundus; (4.) *& intelligi ab illis, qui mentem ſanam habent*, rerum-

rerumque cauſas veſtigandi laborem impendere non pigreſcunt. (5.) *Arbitrio ac delectu circa res vti, cui non datur?* (6.) *Effici ab homine omnia poſſunt*, ad quæcunque efficiendum organa accipit: ad quid autem non accipit? (7.) *Haberi etiam bona quæque quidni poſſint?* adeo domum ſuam nobis ad habitandum conceſſam, mundum, bonis omnibus abunde inſtruxit creator. (8.) *Vti, frui poteſt quisque bonis; quia omnia facta ſunt valde bona.* (Gen. 1, 31.) Corrupta quidem per peccatum ſunt omnia, diligentibus tamen Deum cooperantur nihilominus in bonum omnia. (*Rom.* 8, 28.) (9.) *Eminere, cuiuis contingere poteſt:* dummodo, quid vere ſit eminere, & qua recta via vere alta petantur, non ignoret. (Eminemus enim ipſo creationis iure ſuper omnes viſibiles creaturas; redemptionis autem bene-

beneficio ſuper angelos etiam; per ſanctificationem denique ad diuinæ vsque naturæ conſortium eleuamur: quanta hæc? (*Pſal. 8, 6. 7. Heb. 2, 16. 2. Pet. 14.*) (10.) *Eloquentem fieri poſſibile eſt omni homini*, quicunque a Deo ſanam mentem, linguam, aures accipit; paucos vero organis his infelix aliquis caſus priuat. (11.) *Moribus bene politum*, fauoreque humano dignum reddere quidni liceat quemuis, qui decori leges obſeruare velit? (12.) *Deo denique per amorem & obſequium iungi, quidni poſſibile ſit homini*, qui diuinum illud: *guſtate & videte, quam ſuauis ſit Dominus*, (Pſal. 34, 9.) audire non recuſet?

9. Nihil ergo reſtat, quam videre, quomodo tantarum rerum poſſibilitas in facilitatem tranſeat. Quod, an nos regula Chriſti *de vno neceſſario* docere queat, eia experiamur!

Ad

Ad vita valetudineque *conſtanter fruendum, quid neceſſario requiritur?* Reſp. diligentia in obſeruandis illis, quæ vitam & valetudinem roborant, cauendisque contrariis: h. e. vt ſanitatem lædentia fugias, conſeruantia adhibeas. Sunt autem valetudinem lædentia, extrinſecus quidem vulnera, plagæ, caſus & concuſſio, aut contuſio; intrinſecus vero omnia exceſſiua, vt calor vel frigus vehemens, motus aut quies nimia, nimiaque cibo & potu repletio, nimia rurſum exinanitio, ſeu fame, ſeu ieiuniis, ſeu medicinis, &c.

Conſeruantia valetudinem ſunt, *diæta bona, & DEI hominumque obſeruantia. Diæta* eſt moderatio prudens in victu, motu, ſomno, aliisque modo memoratis, quorum moderatus vſus iuuat, defectus & exceſſus nocent. *Obſeruantia vero Dei & hominum*

num eſt, ſtudium neminem irritandi, h. e. ad nocendum prouocandi. Si ergo tuo ventriculo dederis nutrimenta conuenientia, & corpori debitum motum & quietem; menti autem recreationem & ſolatia honeſta; Deo denique vitæ tuæ domino adorationem & obſequia, hominibus vero, quod cuique debetur: quidni bene ſperes? annon tali modo vitæ & valetudinis ſtudio ipſe Chriſtus & ſancti eius præiuerunt?

10. *Vt quis multa bona ſciat, mala tamen neſciat efficiendi, vna hæc neceſſaria eſt via:* vt, quicquid ſciri debet, ſenſibus offeratur; quod non debet, a ſenſibus abſcondatur. Obiectis enim ſuis oculus, auris, aliique ſenſus mox inſiliunt; modo lente offeras, non obruas. Quod autem occultatur, occultum manet.

11. *Vt, quicquid eſſe ſcitur*, etiam *quid*

quid sit, intelligatur, causarum inspe-ctio accurataque perspectio faciet. Si ergo rem intelligere vis, inquire sedulo, 1. *ad quid res sit*; 2. *ex quibus ingredientibus componatur*; 3. *quibusque vinculis partes connectantur*. Et mox, quid res sit, videbis. Cuiusmodi solertia, si a non-necessariis cohibebitur, ad necessaria quidni sufficiat?

12. *Vt quis libertate arbitrii recte vti, non abuti, sciat, necessario adsuefaciendus est cohibere se ab omnibus illicitis semper*, in licitis autem vti discretione: nempe, *an aliquid expediat, etiamsi liceat*. Quæ virtus (ab illicitis abstinendi semper, a licitis sæpe) pro virtutum fastigio habetur merito, dum reuera *nemo liber, qui seipsum in potestate non habet*. E contra vero

For-

Fortior est, qui se, quam qui fortissi-
ma vincit
Mœnia, nec virtus altius ire pot-
est.

13. *Vt quis per virtutem totus actiuus euadat, eo etiam Christi regula prorsus confert.* Nam natura humana per se viuida est, motu & actione (secundum plus & minus) gaudet, nihil nisi directorio prudenti opus habens. (Vt enim mens semper in cogitando aliquid, & voluntas semper in eligendo aliquid versantur: ita facultates exequutiuæ in cogitatis & electis exequendis non versari non possunt. Stimulis hic externis nihil opus, gestat eos intra se quisque: directorio tantum, ne inordinato impetu extra orbitas rapiatur.) Prohibita ergo solertia nostra effundere se in non-necessaria, necessario vi maiore impetum facit in ea, quibus solis obuertitur necessariis rerum. O quantum hoc!

14.

14. *Efficiendi vt quis non egeat noxie, abundet potius, eadem Chriſti regula vim habet multam.* Quippe Deus ſemper bonus ſemper beneficia ſua diſtribuit, modo nobis, acceptandi ea, manus ne deſint: neque natura noſtra per ſe inſatiabilis eſt, opinione tantum quorundam quandoque. Quisquis ergo deſideria ſua vltra neceſſitatem non extendit, neceſſariisque a manu Dei venientibus adquieſcit, illi, quantum quantum datur, ſatis eſt: viuiturque paruo beatius, quia minus diſtracte. Ex aduerſo, *cui Deus & virtus ſua non ſufficiunt, ei nihil ſufficit:* egebit, tametſi mundum poſſideat. Ars ergo vere in Deo diteſcendi, in *orando & laborando, parſimoniaque ſeu frugalitate* conſiſtit.

15. *Virum item Deo & virtute nitentem bonis ſuis ſuauiter vti, frui, malorumque ſecurum eſſe, regula Chriſti fa-*

F *cit.*

cit. Dum enim, necessariis adquiescens, frugaliter viuit, non-necessariorum copia se non circumaggerat; non irritatur aliena cupiditas ad illius tenui sorti inuidendum & insidiandum: viuit Deo & sibi suauiter, Deum semper laudans, mente autem sobria, a rerum tumultu libera, semper boni aliquid agitans. Aut si quid incommodi se admiscet, consideratione sortis humanæ, diuinæque circa omnia nostra prouidentiæ, tolerat omnia.

16. *Eadem Christi regula facit, vt vir Deo & virtuti deditus, solisque necessariis intentus, in honore vitam agat via trina.* I. Nihil inhonesti in se, nec in hominem vllum, vel rem vllam admittendo. II. Non quærendo bonus videri, sed esse. III. Nec in eo tam homines respectando, quam Deum, veritatis vindicem, conscientiamque propriam, intimum suum testem.

stem. Talis vero quisquis fueris vere, honoratus eris vere in conspectu Dei & angelorum eius, piorumque hominum, tanquam genuissima imago Dei, qui veritas est; siue in luce publica viues, siue in vmbra tua. Hoc enim nihil tunc ad rem: vtrum te vulgus respectet, an secus; quia vulgus res non intelligit, sæpe cloacam pro altari adorans. Neglige hos, verum quære honorem, in virtutis solio residentem.

17. *Etiam regula Christi* (de vno necessario) *eloquentes* faciet obseruatores suos, si non affectata loquacitas, sed *sufficiens cogitata sua proferendi facultas* intelligatur.* Qui enim res necessarias satis intelligit, & a non-necessariis satis recte discriminat, loqui poterit veritates, non vanitates, nectereque sermonem apte cohærentem, non arenam sine

 calce.

ce. Tandem hac arte simplicissimi etiam, & parum linguaces eloquentes e-runt vere: ad Deum quidem suspiriis ex imo corde profectis; ad homines autem sermone simplici ac veridico, qualem cœlestis Magister docuit: *Etiam, etiam; non, non.*

18. *Facit & ad facilius hominum fauores impetrandum:* si quis rebus suis intentus nullis non-necessariis negotium aliis facessat. Quis enim facile turbet illum, qui, secum habitans, turbare quærit neminem?

19. *Super omnia vero est*, quod *eadem hæc regula Christi ad quærendum & inueniendum fauorem eius, qui super omnia est; Dei, certissima manuductrix esse comperiatur.* Dum enim in vnaquaque particulari re vnum necessarium (in quo essentiæ illius medulla sita est, & a quo illius conseruatio pendet) quæri iubetur, euidentissi-

mum

mum sit ipsi etiam vniuerso basi aliqua vniuersali (cui innitantur omnia) opus esse necessario: neque basin illam aliud esse posse, quam ipsum primum rerum principium, Deum, vtpote causam causarum, finem finium, formam formarum, efficientemque efficientum omnium. Quod serio expendens pius regulæ Christi obseruator, fieri non potest, quin statuat, *omnium necessariorum maxime necessarium esse Deum.* Quod porro faciet, vt quemadmodum antea deprehendit, necessarium sibi esse, conuerti a rebus externis in seipsum, tanquam sibi ipsi vnum necessarium: ita nunc deprehendet, *necessarium sibi esse a seipso etiam exire, & reuerti in fontem suum, Deum.* Exit igitur a se tandem etiam, vt se reddat Deo: h. e. vt imperium sui, recta ratione collectum, tradat Deo. Atque tum salua sunt

hominis omnia, DEO ad fidelium omnium partem ita edicente: *Noli timere, ego sum protector tuus, & merces tua magna valde*, (Gen. 15, 1.)

20. *Possuntne hæc specialioribus exemplis ostendi?* Quidni? dabo. Si vitam tuam sine Labyrinthis esse vis, negotiis te alienis nunquam implica non re, non verbis, non cogitatione, si fieri potest. Hoc si recte seruaueris, incredibile quantum Labyrinthorum effugeris. In propriis autem rebus vt sine Labyrintho sis, vna *frugalitas* faciet: h. e. vt sis paucis contentus in vestitu, habitatione, alimentis, seruitiis, supellectile, reditibus & opibus; omnia tantum ad necessitatem habens, nihil ad superfluitatem & luxum. Similiter amicis ne te onera, vnus & alter sufficiat consilii causa.

21. *Estne, quod specialiter de necessariis respectu ætatum, iuuenilis, virilis,*

lis, ſenilis, & quæ circa mortem, moneatur? Non deerit.

22. *Quid ergo iuuentuti vnum neceſſarium eſt? R. bene educari*, h. e. mox ab exordio vitæ neceſſariis vitæ inſtrui, a non-neceſſariis immunem ſeruari. Hic totius vitæ felicitatis baſis eſt: *quia, vt ſe dant prima, ſic omnia.* Arbor quomodo plantatur & rigatur, ita creſcit: & quomodo creſcit, ita dureſcit, recta aut curua, fructus ferens hos, aut illos &c. Hinc Salomo: *Inſtrue puerum ad viam rectam, & non recedet ab illa, cum ſenuerit.* (Prou. 22, 6.) Deus vero ipſe: *Si mutare poteſt Æthiops cutem ſuam, & pardus maculas ſuas, etiam vos poteritis bene agere, docti male agere.* (Ier. 13, 23.) Nempe frangas citius, quam corrigas, quod in malum induruit. Et vaſa vitrea, vel figulina tutius frangi prohibentur, quam fracta

 repa-

reparantur: ſicut & valetudo corporis, & omnia.

23. Mature etiam informandi ſunt iuuenes de mortalitate ſua, vt videant, ita ſibi vitam eſſe inchoandam, quomodo ſingulos inchoamus dies, nempe vt particellam tantum temporis, tranſituram breui. Cuius rei vſus erit, vt vitæ caducæ non multum fidere, futuræ potius ſeſe præparare diſcant. Si quis dicat: *Priusne mori, quam viuere docendi erunt*? Reſp. Neceſſario, ſi a ſummis periculis præcautum volumus hominibus: ſummum enim periculum eſt, hominem (ſiue ſenem, ſiue iuuenem) imparatum abripi. Et quia ſapienter dictum eſt: *Naſcentes morimur, finisque ab origine pendet*, non erit inſipiens factum, mortales mox ab ipſa origine admonere finis, vt hunc mature proſpectare, & ad præuiſum media diſponere

nere conſueſcant. Alias certo neceſſaria ignorabimus, quia non-neceſſaria diſcemus; certo neceſſaria negligemus, quia non-neceſſaria agemus; certo neceſſaria nos deſtituent, quia non-neceſſaria nos occupabunt. Nullo igitur modo perfectius inchoari poteſt vita, quam a meditatione mortis, & propoſito, vitam cum Dei metu tam bene tranſigendi, vt, quæ hanc excipiet mors, mala eſſe non poſſit.

24. *Vitam honeſtam meditanti quidnam eſt neceſſarium?* Reſpondetur: SENECA aliquem virum virtute heroica eligi ſuadebat (*Scipionem, Catonem &c.*) quem quis imitari proponendo, ſemperque ceu præſentem ſpectando, præ verecundia ne peccet. Non malum conſilium; ſed nos Chriſtiani melius habemus, magisque conſtringens: *Chriſtum ſemper in obtutu habere*, tanquam (1.) *perfectiſſimam*

omnis

omnis perfectionis ideam, (2.) reuera nobis præsentem, nosque & omnia nostra spectantem, (3.) futurum denique nostrum iudicem.

25. *Hoc pauci attendunt.* Resp. Non attendenti, & licentiose viuere volenti, necessarium foret circumspicere latebras, vbi te nec Deus videt, nec angelus, nec vlla creatura. *Nam si Deus videbit, ita te iudicabit, vt te inueniet. Si creatura, deferet te: etiam auicula,* (Ecclesf. 10, 20.) *etiam lapis a pariete clamabit, etiam nodus e ligno testificabitur.* (Abac. 2, 11.) Talem vero angulum (ad peccandum absolute necessarium) vbi inuenies? nullibi. Nullibi ergo peccari posse memor, ne pecca; sed virtutibus vbique te perficere labora.

26. *Bonum id genus propositum concipienti, quid est necessarium?* Incipere: & quidem incipere mox, & serio.

Si

Si nunquam incipis actu, theoria nuda nunquam erit vſui. Et qui non eſt hodie, cras minus aptus erit. *Quid autem incipienti eſt opus?* Pergere, donec omnes primæ difficultates (non enim aberunt) ſuperatæ fuerint. *Quid neceſſarium pergenti?* Perſeuerare: quia ſolis ad finem perſeuerantibus ſalus promittitur. (*Matth. 10*, 22.) Omnia vero hæc, vt vere ac ſeuere (ſine omni hypocriſi, ſimulatione ac diſſimulatione) fiant, mox a iuuentute aſſueſce; quia cordis veritatem veritatis Deus requirit. Quomodo igitur te Deus & conſcientia tua vident, ſi homines etiam ita videbunt, eris vndique tutus. Absque hoc omnia tua fucus erunt; atque tum quid? Vt res inanes ventus, homines vanos opinio inflat.

27. *Virilis ætas, laboribus dedita, vt ne Labyrinthus ſit, quid faciendum?*

Reſp.

Resp. Semper primo sequestranda sunt non-necessaria, sicut & minus necessaria, ne iis impliceamur. Necessaria vero redigenda ad paucitatem: atque tum expediendum aliud post aliud distincte, hoc trino præcepto insuper obseruato.

I. Vt nulla in re tibi demandata expectes alios, sed FACIAS IPSE: nullo post Deum homine magis nixus, quam teipso.

II. Quicquid expediri potest hodie, in crastinum ne differas.

III. Quicquid agis, serio agas, vt sit AD VSUM.

28. *Ad expediendas actiones quid opus est?* Resp. 1. *Habere semper scopum certum, vnum fixum:* aut, si se offerunt plures, subordinare secundarios primo. (Duos lepores qui simul sectatur, neutrum capit.) 2. *Medium certum, vnum, fixum:* aut, si pluribus videa-

videatur opus, ſubordinanda ſunt inuicem ſibi, vt ne ſe impediant, ſed iuuent. Stultus viator (apud GEILERUM) qui ſe pluribus baculis onerat: ſimiliter autem quisquis inutilibus ſarcinis, aut multa ſupellectile ſeſe prægrauat & retardat. 3. *Mediis vtendi modum certum, vnum, fixum,* h. e. vſu & conſuetudine firmatum. Aut ſi quid nouo modo tentandum eſt, non niſi ſumma ratione tentandum.

29. *Multis autem negotiis diſtracto quid agendum?* Circumſpiciendum, quodnam inter omnia illa ſit maxime neceſſarium, atque hoc vrgendum primo, cæteris neglectis. Si plura ſimul neceſſitatem inferunt, accerſendi ſunt, qui iuuent. Si non eſt, quem adhibeas, ſolique tibi omnia incumbunt, age priora prius, & potiora potius.

30. *Quid autem, ſi negotia extraordinarie magna obueniant?* Reſp. Ibi

animo magno, viribus magnis, prudentiaque magna opus est: aut etiam (si a te solo ista desperes) consilio magno; quin & fauore magno Dei, ad benedictionem impetrandam; & hominum, ad inuidiam auertendam. Sine his magnum quid si tentas, vix obtineri poterit, quin pœnitudo sequatur.

31. *Si vero pericula simul incidant, aut tot perplexitates, vt nescias, quo te vertas, quid tunc agendum?* Resp. Vnicum hoc restat, refugium sumere ad Deum, cum Iosaphat dicendo: *Non est in me, Domine, fortitudo ad resistendum tantæ multitudini, quæ irruit super me. Nec scio, quid agam, hoc solum habens residui, vt oculos meos dirigam ad te.* (2. Par. 20, 12.)

32. *Vt quis suis in negotiis inuictus sit, quid illi opus?* Nihil inchoare, quod finire non sit in potestate sua: quia viribus maiora suscipiens necessa-

rio

rio laſſatur, & dehinc aut ſuccumbit, aut cum ludibrio deſinit. Quisquis ergo ſapis, imitare Dauidem, cor ſuum & oculos non attollentem, neque res inconuenientes aggredientem. (Pſ. 131.) Si ad extraordinarium aliquid adhibere te placebit Deo, ipſe te manu ſua eo deducet, ſicuti Dauidem: cuius exemplo, ſi tu omnes tuas curas in Dominum deuolues, *IPSE FACIET.* (Pſalm. 37, 5.) Si ductum eius anteuertere voles, & negotia, & te præcipitabis.

33. *In alienis vero, fidei noſtræ commiſſis negotiis, quid maxime neceſſarium?* Fidelem eſſe: h. e. ſerium, velocem, taciturnum, prouti res poſtulauerit. Ne igitur dicas, te facturum, ſed fac: neque te feciſſe iacta, ſed rem ipſam dextre peractam loqui ſine.

34. *Temporibus lætis quid opus?* Lætari, Deumque cantibus laudare. (Iac. 5, 13.)

5, 13.) *Ridenti fortunæ arridere licitum est*, dixit gentilis homo. Quod idem suis permittit Christus, ita tamen, ne gaudia lasciuiant, & plus carnem, quam spiritum sapiant.

35. *Tristibus autem quid?* Tristari, gemere, orare. (Iac. 5, 13.) Ita enim demum mala quæque nobis bono cedent, si nos ad boni fontem, Deum, refugium sumere compellent.

36. *Auaro quid opus est?* Fundo: vt sit, vbi se auiditas sistat. Quodnam vero illud fundum? Adquiescentia, & contentum esse rebus præsentibus. Nunquam erit pauper, cui, quod habet, satis est: nunquam diues, cui, quod habet, non sufficit.

37. *Vt quis tota in vita sine tricis sit, quid opus?* Fugiat constanter intra se vitia, extra se turbam negotiorum & hominum. *Ad effugiendum intra se vitia, quid opus?* Si carnis tentatio est, fuge,

fuge, Ioſephi exemplo, (Gen. 39, 12.) ſi alias tentationes iniicit Satan, reſiſte Chriſti exemplo, donec Satan fugiat. (1. Petr. 5, 9. Iac. 4, 7.) *Turbam vero quomodo effugiam?* Cum paucis conuerſando, & in neceſſariis tantum: confecto autem negotio quouis, mox ad teipſum & tua redeundo. Ita per totam vitam.

38. *Senex vt dici queat felix, quid illi opus?* PLATO felicem iudicauit illum, cui vel in extrema ſenectute veras de rebus ſuis opiniones nanciſci contingit: nempe quia iuuenilem ac virilem ætatem erroribus fere transmitti cenſuit. Enimvero, quia non mentis tantum & intellectus aberrationes dantur, ſed etiam voluntatis & actionum, plenius dicendum eſt: *Felix ille ſenex, qui labyrinthorum vitæ finem inuenit, & ſaxa ſua ad quietem deduxit, deſideriorumque ſuorum ſatie-*

tatem adeptus est. Ideo Dauid beatum prædicat senem, cui Deus virtutibus *reiuuenescere dat, vt aquilæ.* (Psl. 103, 5.) Vt scilicet, si quid agendum restat, vigorosum sit, sublime, cœleste: sicut arbores annosæ, tametsi minus feraces sint, fructus tamen maturiores proferunt & dulciores, quia melius excoctos. Quicquid ergo vitæ errorum senex notare (in se vel aliis) potest, ante vitæ finem emendare debet: vt ne se inemendatum mors opprimat, totumque vitæ pretium perdat. Vt enim cursoribus stadii victoriæ præmium non nisi in meta est: ita vitæ honestæ palma non nisi in morte: hac amissa, nullus emendationi, æternus pœnitentiæ relinquitur locus.

39. *Ars ergo bene moriendi ars artium erit?* Vtique: quia mors vltima linea rerum est; omnia vero tum bona sunt, clausula quando bona est. Infeli-

felices eſſemus, ſi moleſtiſſima mortalitas noſtra morte terminanda eſſet: infinito vero magis, ſi temporales ærumnæ æternis eſſent permutandæ.

40. *Ad bene moriendum igitur quid opus eſt?* Bene præparatum eſſe ad ineuitabilem illam horam: vt non extrudaris hinc inuitus, ſed fatorum legibus parendo cedas lubens. Sapienti enim e vita honeſte ac modeſte, vt e conuiuio, diſcedendum eſt: nec bona mors ſperari poteſt, niſi illi, cui vita bene transacta. *Bene velle mori, & non prius bene velle viuere, ſtultum eſt votum:* quia contra iuſtitiæ leges, & in ſeipſo etiam impoſſibile. Mors proinde quia illud punctum eſt, a quo æternitas pendet, nihil tota vita diligentius agendum eſt, quam vt beatæ hinc abitioni recte præparemur.

41. *Præparatio illa quibus in rebus ſita eſt?* Vt, quicquid adhuc diſpoſitio-

tionem requirit, diſponas tecum, & cum proximo, ac Deo ipſo. *Tecum*, vt ante te mori facias mortis tuæ cauſam, *peccata*, vt ne quid ſit, quod in ipſo mortis articulo terreat. (Si enim cor noſtrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum. (Ioh. 3, 21.) *Cum Proximo*, vt reconciliemur omnibus omnino, dum adhuc ſumus in via. (Matth. 5, 25.) *Cum Deo*, vt propitium eum habere in Chriſto certi reddamur per fidem. (Rom. 5, 1. 2.) Ita enim demum, quod in vita peragendum erat, peractum eſſe videns, cum Chriſto, ſpiritum Patri reddente, lætus dicere poteris: *conſummatum eſt*. Et cum Paulo: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: repoſita mihi eſt corona &c.* Ita demum nihil, quod hic agas, ſupereſſe certus, lubens a labore ad quietem tranſire feſtinabis, iterum

rum cum Apostolo dicens: *cupio dissolui, & esse cum Christo.* Ita denique cum Stephano cœlum ante te apertum, & Filium hominis stantem à dextris Dei videns, dices: *Domine IESU, suscipe spiritum meum!* (Act. 7.)

42. *Post mortem autem homini quid opus est?* Animæ quidem respectu, *angelis*, in cœlum deductoribus; corporis respectu, *amicis*, sepulturam curantibus; honesta denique post se relicta *fama.* Quæ tamen posteriora duo si apud homines non contingunt, (vt in seruorum Dei martyriis) primum solum abunde sufficit, solum vnum necessarium est.

Caput VI.

Quomodo Eruditi, & qui rem literariam tractant, suos & scholarum Labyrinthos, suaque Sisyphea saxa, & Tantaleas illusiones per Christi, de VNO NECESSARIO, regulam emendare possint.

§. 1.

HOmini, qua homo, quid vnum necessarium est? SAPERE: h. e. scire conuersari cum rebus, cum hominibus, cum Deo. Quorum primum *Philosophiam*, secundum *Politicam*, tertium *Religionem* vocamus: sine quorum notitia & vsu homo non homo, sed brutum esset: tametsi vndique opibus, honore, commoditatibusque vitæ circumfusus. Quia vt ægrotum aureus lectus; ita stultum splendida fortuna nihil iuuat. *Sapientis oculi sunt in capite illius; stultus vero*

vero in tenebris ambulat, inquit Salomo. (Eccleſ. 2, 14.) Quo innuit, *eruditionis & ſapientiæ* ſcopum eſſe, vt homines non pecorum ritu ſequantur antecedentium gregem, euntes, non quo eundum eſt, ſed quo itur: verum, vt ante ſe viam vitæ ipſimet clare videntes, illi prudenter inſiſtant, præteritorum memores, præſentium gnari, futurorum prouidi.

2. *Ad comparandum hoc ſapientiæ lumen multisne opus eſt?* Si manuductionem Dei ſequi velint homines, non multis: *timore* tantum *Dei*, *& oratione, tribusque libris. I. Timore Dei* opus eſt, vt nemo ad rem tam ſanctam (in qua ſimilitudo Dei conſiſtit) proterue ac leuiter, temeritatis impetu, aut curioſitatis pruritu proruat, ſed humili reuerentia (tanquam ad rem, quæ gloriam Dei, propriamque ac proximorum ſalutem concernit) accedat.

cedat. Tunc enim reuera *timor Dei sapientiæ sit initium.* (Prou. 1, 2.) II. *Oratione feruida* opus est, ad contestandum, nos nulla nostri fiducia, sola diuinæ misericordiæ spe ad hos lucis & salutis fontes accedere. Quod quia Salomo & Daniel fecerunt, sapientiamque sibi præ cæteris bonis optarunt, cæteris mortalium sapientiores facti fuerunt: promissaque pariter sapientia est omnibus, eam a Deo postulantibus. (Iac. 1, 5.) III. Et quia *sapientiæ fons est verbum Dei in excelsis*, (Sir. 1, 5.) verbum autem Dei *trinum* est: (1.) inspiratum rationali creaturæ, angelis & hominibus, mentis lumen; (2.) impressum creaturis corporeis, quarum mundus plenus est; (3.) expressumque verbis ad sanctos Dei prolatis, & iussu Dei in scripta prophetica relatis. *Tria ergo sapientiæ infundibula sunt*: I. *mens sana*, innatis notitiis

titiis plena, ratione lustranda; II. *Mundus* creaturarum plenus, sensibus subigendus; III. *Liber Biblicus*, reuelatorum mysteriorum plenus, fide scrutandus. *In his Dei libris, quicquid sciri aut ignorari opus est, continetur: soli proinde ad sapientiam hauriendam vnum necessarium sunt.*

3. *Sapientiæ studium estne res facilis, an operosa?* Vtrumque. Si enim, qualia hæc ex intentione Dei esse debebant, attendimus, meræ deliciæ imaginis Dei animæ nostræ (tanquam vere paradisiacæ voluptates) esse debebant: si qualia per degenerationem facta sunt, meri Labyrinthi, Sisypheaque saxa, & Tantalea ludibria sunt.

4. *Demonstra vtrumque.* Resp. *I. Philosophia* ex intentione Dei nihil aliud esse debet, quam legitimum hominis in res omnes, creaturas inferiores, dominium: quod suaui rerum

contemplatione, rationabili earundem moderamine, prudentique vſu abſoluitur. *II. Politia* nihil aliud, quam concors hominum ad mutua vitæ commoda cohabitatio, mutuis fauoribus, conſiliis ac auxiliis conſtans, iuxta ipſius naturæ leges. Quarum ſumma eſt: *Quod tibi ab aliis fieri vis, aut non vis, hoc idem aliis facias, aut non facias*, propter naturæ æqualitatem. *III. Religionis* vero totum hoc eſt, vt Deo, quæ placent, nobis reuelanti *credamus*, mandanti *obſequamur*, promittenti *fidamus* ſemper, & vbique, & in omnibus, ſine tergiuerſatione omni.

5. *Hæc obſeruatu facillima videntur?* Erant; niſi homines Dei hortos ſylueſcere, & in dumeta & ſpineta, imperuiosque ſaltus abire fuiſſent paſſi. Sed quia 1. *rerum* multitudo tanta eſt, 2. enatæque circa res *quæſtiones* infi-

infinitæ, 3. & circa quæſtiones *opiniones* infinitæ, 4. infinitæque circa opinionum varietatem *diſputationum* tricæ, 5. & infiniti de omnibus his ſcripti *libri*, 6. idque *linguis* variis, quæ eruditæ videri volentes æmulatione mutua infinitis modis ſeipſas intricant, 7. & omnia hæc tradendi *methodorum* varietas difficultates auget: inde fit, vt literati omnes infinitos oberrare labyrinthos, volutare ſaxa, fruſtrationesque ac ludibria pati neceſſe habeant.

6. *Ain vero? Res tu ipſas diuino artificio contextas* (in mente noſtra, in mundo, in verbo ſuo) *labyrinthos eſſe dices?* Ob multitudinem dico & varietatem, quæ tanta eſt, vt, vbi initium aut finem hic, iſthic, illic quæras, non reperias. Omnes quippe & ſinguli diuini libri receſſus habent profundiſſimos, varios, nulli humanæ menti

ti huc vſque aut permeatos, aut penetratos. Quot phyſicorum & metaphyſicorum, mathematicorumque & chronologorum, politicorum & theologorum interminabiles ſpeculationes, naſcentesque inde plures quotidie de omnibus & ſingulis quæſtiones, & de quæſtionibus ſemel motis variæ variorum (vix vnquam terminabiles) opiniones? Decuit nempe infinitam Dei ſapientiam ita theſauros ſuos contemplandos exponere, vt mens humana progrediendo ſemper finem inueniret nunquam: ad euidentius differentiam inter ſe creaturam & creatorem (tanquam riuulos & fontem) cognoſcendum.

7. *Si hic ſcopus eſt, infinitæ igitur huius contemplationis ſchola innoxia eſt?* Reſp. Eſſet, ſi modeſte hic verſari, humilesque æternæ ſapientiæ diſcipulos agere conſueſcerent homines.

nes. Sed quia plerumque res agitur temere, coniecturalibusque opinionibus ſuis homines, nimis facile ſibi placendo, ſcintillas ſuas pro ſole adorant, aliisque adorandas obtrudunt, naſcuntur inde contradictiones & pugnæ, quas *diſputationes* vocant; iisque mundum ita repleuerunt, vt diſſidiorum & labyrinthorum nullus ſit finis.

8. *Atqui habemus libros, veriorum obſeruationum collectanea, defecatæ ſapientiæ adminicula?* Reſp. Debebant libri errationum eſſe antidota, humanoque per ſe vertiginoſo ingenio directoria: verum, vt adhuc res ſunt, reuera labyrinthi ſunt, ſi quis ſine admodum prudenti conſilio (ceu Ariadnes filo) iis ſeſe immittat. Primum enim plures ſunt, quam vt perlegendæ vel milleſimæ illorum parti cuiusdam mortalis vita ſufficiat: magis

gis autem varii, quam vt vllum tam firmum cerebrum reperiatur, quod in vertiginem non agi necesse habeat. Immensæ itaque librorum strues aut spectaculo sunt magis, quam vsui, & sic se prodit vanitas; aut ingeniorum confusioni inseruiunt magis, quam instructioni, & sic noxa patescit. Hinc enim indocte doctorum, aut docte delirantium agmina, vere doctorum, h. e. sapientum, raritas, & quod Deus sapientiam sapientum abominatur, prudentiamque prudentum reprobat. (1. Cor. 1, 19.) Quoties ergo grande volumen ante te vides, & multo magis, dum numerosam aliquam Bibliothecam spectas, miseratio animum subire debet miseriæ humanæ, tantis labyrinthis distractæ, laceratæ, corruptæ. Quemadmodum enim cupediæ gulosos alliciendo decipiunt, & in nauseam, aut morbos, immaturasque

que mortes præcipitant : ita curioſitatis illecebræ, libri multi & varii, periculoſe ingenia ineſcant, animosque nauſea, morbis, exitiiſque tandem implent. Hinc eſt, quod ſapientiores metuere incipiant : *niſi vagum hoc, ſemperque adhuc incrementa capiens librorum diluuium aliquo modo ſiſtatur, futurum breui, & vt homines aut nihil legant, aut nihil credant*, profanitasque & Atheismus inundent omnia : quemadmodum initia videmus paſſim ; maxime in gentibus, quæ ſibi maxime cultæ videntur.

9. *Quid igitur conſilii, vt librorum lectio non ſit labyrinthus?* Reſp. Hoc vnum, vt hic etiam, vni neceſſario inſiſtens, non-neceſſariis te intricari ne permittas. Nempe, *vt non multos quæras libros, ſed bonos* : adeoque ſi vnus in materia vna excellit, (puras de re illa veritates pure tradens) *vno adquie-*

adquiescas. Tum, illum solum totum attente legendo, omnia notabilia enotes, atque tum autorem seponas, ne tibi amplius facessat negotium. Demum excerpta relegendo memoriæ imprimas exacte, exercereque praxi incipias accurate. *Hac ecce via, plurimos autores bonos in succum & sanguinem conuertendo, sapientiæque medulla egregie te saginando, sapientiam tandem non in chartis, sed in pectore gestare poteris.* Quam vnam methodum sequi si vellent scholæ, molestissimis labyrinthis non se tantum & iuuentutem, sed ecclesiam, sed politiam, sed mundum liberare possent.

10. *Tantane tantilla de re promittere audes?* Audeo, quia tantus artifex est Christus, vt, quicunque illum ducem & lucem sequitur, non permittat ambulare in tenebris, sed habere lumen vitæ; (Ioh. 1, 12.) præsertim si

si quis ex toto ducem hunc, & lucem hanc sequi (h. e. *humanis libris sepositis omnibus, in solis diuinis delectari*) animum inducat. Id quod esset cum Maria partem eligere optimam, considendoque ad pedes Christi ab vnius illius ore pendere, præque illius suauitate omnium aliorum obliuisci.

11. *Annon vero ipsi etiam diuini libri, suas ambages, suosque varios anfractus & profundos recessus habentes, ingeniis labyrinthi videntur?* Videntur sane, præsertim primo accedentibus; sed videntur magis, quam sunt. Quia perfectissimus artifex, Deus, sapientiæ suæ *amphitheatra* (*mundum, mentem, verborumque suorum systema*) perfectissima symmetria non condere non potuit: perfecto autem cum nullus insit error, nullus etiam reperiri potest illis, qui se Deo humiles & attentos dant discipulos. Aut si

ſi quid humana imperfectione hic etiam erratur, duce tamen Deo, (*qui ſapientiæ dux, ſapientumque emendator eſt*, Sapient. 7, 15.) errari tam noxie non poteſt, atque ſi, deſerto Deo, alios ſectamur duces. Tandem non deſunt dono Dei *directoria quædam*, quibus pie obſeruatis, omnia ſapientiæ Dei theatra (liber creaturarum, liber mentis, liberque verborum Dei) tuto & amœne tranſiri poſſunt.

12. *Quæ illa directoria?* Tria potiſſimum: *I. vt, quod inuenire cupis, ibi quæras, vbi eſt, te in te, mundum in mundo, Deum in Deo; II. idque organo cuique appropriato:* mundum luſtrando *lumine ſenſuum*; mentem *lumine rationis*; Deum *lumine fidei.* (Mundus enim corporeus totus ſubiacet ſenſibus: mentis actiones omnes normantur ratione: reuelata omnia prehenduntur fide.) *III. Tan-*

Tandem, vt ad harmoniam mutuam omnia, ne vlla vnquam diſſonantia inter cogitata, dicta, factaque Dei, & ſenſum, rationem, fidemque noſtram interueniat. Tunc demum ſemper prodibit lux & veritas, cum amore gloriæ Dei & ſalutis noſtræ.

13. *Expreſſius oſtende, quid obſeruatu neceſſarium ſit, vt liber creaturarum ſigillatim luſtratus non labyrinthus ſit, ſed hortus deliciarum?* Reſp. Obſeruandi ſunt creaturarum gradus, atque tunc eundum per ſingulos inconfuſe: vt primum conſiderentur res, quæ habent nudum ESSE: vt *elementa*, & ex illis concreta *meteora*, *metalla*, *lapides*; tum quæ præterea habent VIUERE, & propter vitam generari, vegetari, mori: vt *arbores*, *herbæ*; tertio loco, quibus additur SENTIRE, ac loco moueri: vt *animalia omnis*

gene-

generis. Demum, quibus addita est suprema corona similitudinis Dei, ad seipsas, & alia secum, INTELLIGENDUM: vt *homo & angelus.* Aut possent etiam creaturæ corporeæ (iuxta numerum sensuum) quinque partite, in *visibiles, audibiles, olfactiles, gustatiles, & tactiles* diuidi; &, quomodo hæc omnia & singula fiant, contemplando, ordine inconfuso progredi.

14. *Sed mentes humanæ annon chaos & labyrinthus sunt?* Non sunt, si se intra cancellos contineant. *Quos dicis cancellos?* Impressam diuinitus numerorum, mensurarum, ponderumque notitiam. Postquam enim Deus creator omnia in mundo ad numeros, mensuras, ponderaque disposuisset; (Sap. 11, 21.) impressit eosdem numeros, mensuras, pondera imagini suæ, MENTI humanæ; vt quæque obuia

obuia numerando, menſurando, ponderando, rerum quarumuis notitiam, & dehinc vſum comparare ſibi poſſet. Vtque poſſet, indidit ei normas trini generis: *I. Notitias quasdam innatas, intellectui prælucentes; II. Inſtinctus quosdam occultos, voluntatem ad bona eligendum, mala reprobandum, ſtimulantes; III. Facultates quasdam & organa, ad bona ſequendum & adſequendum, mala fugiendum & effugiendum, impetum conferentes.* Quæ tria, quia ad omnia intelligibilia, volibilia, agibiliaque ſe extendunt, & in omni homine nato reperiuntur, (eſſentialibus non mutatis) dicuntur *communes notiones, communes inſtinctus, communesque facultates & organa.* Quæ omnia, ſi rurſum debitas in claſſes accurate diſponerentur (nondum enim factum eſt) haberetur non labyrinthus, ſed caſtrorum acies or-

dinata, aut voluptatum hortus, non minus deliciarum, quam ipse maior mundus (longe plus potius) contemplatoribus suis offerens.

15. *Etiamne verborum Dei liber, BIBLIA, sic aliquo modo ad contemplandi suauitatem disponi potest?* Resp. Potest maxime, si tria hæc tibi firmiter persuaseris: 1. *Librum hunc esse diuinam ad genus humanum epistolam,* qua eos a rebus transitoriis & ærumnosis ad æterna sua gaudia inuitat; 2. *illis reuelans, & ab eis requirens, obsequiosisque promittens mundo maiora;* 3. *ideoque studium libro huic impendendum toto genere diuersum esse ab omni illa cura, quæ humanis libris impenditur.*

16. Primum, inquam, Bibliorum lectoribus summe necessarium est, *persuasum habere, librum hunc nobis, paradiso pulsis, esse diuinitus datum* (non

(non quidem ſimul & ſemel, ſed ſucceſſiue, iuxta occaſiones ab hominibus, obſequia Dei deſerentibus, datas) *eo fine, vt ſtultitiæ noſtræ in deſerendo vitæ fonte, Deo; & infelicitatis, in quam nos per id præcipitamus; miſericordiæ denique Dei reſipiſcentibus oblatæ, potenter admoneamur.* Eſſe itaque librum maximæ neceſſitatis, qualis nullus alius ſub ſole, ad cognoſcendum viam effugiendi exitii æterni, recuperandæque vitæ ac ſalutis æternæ præſidium vnicum.

17. *Diuidi autem librum hunc* (quantum ad intimam eius medullam) *trifariam: nempe in reuelata, mandata, promiſſa:* illa *fide*, iſta *obſequio*, hæc *ſpe diuina* excipienda. *Reuelantur* enim ibi talia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, (1. Cor. 2, 9. 10.) h. e. quæ, niſi reuelaſſet Deus, nullo ſenſu,

aut ratiocinatione adſequi poſſet homo: (ex. gr. quid fuerit, antequam mundus fuit: & quid erit, cum mundus non erit: & quid nunc extra mundum fiat, in ipſo vſque corde Dei, quas nimirum ipſe cogitationes de nobis habeat &c.) quæ tamen dum fidelibus ſuis per Spiritum ſuum reuelat Deus, nos ea *prehendimus fide diuina firmiore, quam vllæ oculares demonſtrationes eſſe poſſunt.* (Heb. 11, 1.) *Mandantur* vero in Scripturis talia, quæ, niſi auxilium ſubueniret Spiritus Dei, nullis naturæ viribus peragi poſſent: *RENASCI, & in homines alios, nouos, cœleſtes, Deiformes mutari*; quod ſola, & plena, humillimaque ſui Deo ad omne beneplacitum reſignatione obtineri poteſt. *Promittuntur* denique, qualia nullus mortalis homo, aut immortalis angelus promittere poteſt, mundo maiora: *æternitas nem-*

nempe ipſa cum omnibus voluptatum torrentibus, ipſoque omnis beatitudinis fonte, DEO, qui ambulantibus coram ſe corde integro ſeipſum in mercedem promittit. (Gen. 15, 1.) Quod cum omni humanæ ſpei inacceſſum ſit, ſpe tamen diuina tam firmiter prehenditur a fidelibus, vt omnes ſenſus abnegare, omniaque rationis dictamina eiurare, vitam denique præſentem, & quicquid hæc mortalitas habet, abiicere, millies paratiores ſint, quam non ad immortalia illa feſtinare: quemadmodum apoſtolus, antiquorum ſanctorum facinora dilaudans, teſtatur, Heb. 11.

18. Talem diuinam lucem & veritatem, ſupraque humanum *fidei, charitatis*, & *ſpei* robur, ſi quis ex hoc ſermonum DEI libro haurire velit, neceſſe habebit, *(1.) ſtudium impendere illi maius, quam vllis humanis libris;*

(2) cautius hic versari, quam in omnibus illis; (3.) neque id theoria nuda, sed praxi perpetua.

19. *Maius studium hic requiritur, quam in vllis humanis libris, propter maiores hic, quam alibi, lucis & veritatis, salutisque thesauros,* solis petentibus, quærentibus, pulsantibusque promissos. (Matth. 7, 7.) *Non recedet volumen legis ab ore tuo,* (inquit Deus) *sed meditaberis in eo die ac nocte, vt obserues & facias omnia, quæ scripta sunt in eo. Tunc enim prosperaberis in viis tuis, & tunc secundaberis.* (Iof. 1, 8.) Ideo Dauid: *Beatus, cuius voluptas est in lege Domini.* (Ps. 12.) *Quam diligo legem tuam, Deus! toto die illa est meditatio mea. Omnibus doctoribus meis intelligentior fio, quia testimonia tua meditatio sunt mea: senibus prudentior sum, quia mandata tua custodio.* (Ps. 119, 91. 99. 100.)

20. *Cau-*

20. *Cautio tamen hic requiritur maior, quam vllibi, propter maiorem ac perpetuam lucis & tenebrarum* (veritatisque ac mendacii, ſapientiæ & ſtultitiæ, fidei & perfidiæ, dilectionis & odii, ſpei & deſperationis, ſalutis denique & exitii) *miſturam.* Sicut enim in paradiſo terreſtri non tantum vitæ arbor fuit, ſed etiam arbor ſcientiæ boni & mali, in cuius vetito fructu mors inueniri ac deuorari potuit: ita prorſus in hoc ſpirituali paradiſo. Vbi arborem vitæ *reuelata, mandata, promiſſaque DEI*, cum exemplis ſanctorum, qui ea ſunt amplexi, arborem vero ſcientiæ boni & mali *occultata, prohibita, minitataque*, cum exemplis proterue irruentium & violantium, repræſentant, temeritatemque illorum, qui non ſemper pauent & cauent, prouocant. Quisquis ergo paradiſum hunc DEI, *Biblia*, ingreditur,

firmissimo cum proposito ingredi debet, arbori vitæ adhærendi, arborem scientiæ boni & mali cauendi: h. e. *librum hunc eo fine, non vt doctior, sed vt sanctior fiat, tractandi.* Tali proposito destitutus si quis ingreditur, facillime laqueos & lapsum (vt Eua mater, cum infinitis curiosis filiis) inueniet. Qui vero meliora tantum quæret, *vitæ viam*, inueniet, &, quod quærit, *vitam*; &, quod quærere timet, superaddetur ei, *intellectus mysteriorum DEI* supra eos, qui per curiositatem hoc solum quærunt: modo vt practicæ huius methodi ne ignoret modum. Qui vt pateat, accuratius etiam aliquid monendum est.

21. *Scriptura sacra tota est liber practicus, in quo Deus causam suam contra rebellem creaturam agit, iudiciique sui tum iustitiam, tum processum variis occasionibus varie describit. Indicando*

do nempe illis, quæ ſcire, *mandando*, quæ facere, *promittendoque* facientibus, quid expectare habeant: perpetuis cum exemplis exercitæ benignitatis erga pios, iuſti autem rigoris ſui erga impios. *Quisquis ergo totum hunc proceſſum DEI cum humano genere, & qui eos ſeducit, ſatana recte intelligere, indeque alienis exemplis cautior fieri voles, hæc facito.* *Primo*, firmiter ſtatue, humani generis conditionem nunc eandem eſſe, quæ olim: omnibus mortalibus profundo Dei conſilio inter ſumma & ima, iuſtitiam & peccatum, vitamque & mortem, ita indifferenter conſtitutis, vt, *ſi quis hic vicerit, ſumma teneat, vitam ſempiternam; ſi victus fuerit, ad ima & interitum prolabatur*, quemadmodum Eſdras loquitur (4. c. 7, 58.) *Secundo*, eundem ſemper eſſe ſatanam, qui fuit, inuidum ſalutis noſtræ hoſtem, perpetuum-

tuumque mille modis insidiatorem, a quo mortalium nemo vllo momento tutus sit. Deum e contra nos & satanam, nostrasque cum illo colluctationes spectando semper, hominibus deesse nunquam, si homines ipsi non deessent sibi: cuius rei sacra historia exempla suggerit perpetua. Vaframenta etiam satanæ detegens varia, quibus insidias hominibus & laqueos struit: Deique præmonitiones & auxilia varie varia, quibus nobis succursum it; iam verbis & doctrinis lenioribus, iam clamoribus & increpationibus acrioribus, iam signis & portentis insolitis, iam castigationibus & plagis variis; & quicquid præterea circa hominem seculorum cursu egisse Deum, sacræ memorant literæ. Horum ergo tu nihil a te alienum putabis, cum omnia semina, tum bonorum a bono creatore, Deo, tum malorum

lorum a malo satore, satana, intra te habeas, æque tu atque alius quisquam. Sicut enim omnis homo *mundi epitome* est, suum intra se cœlum & terram, aquam & ignem, materiam & spiritum, lucem & tenebras, motum & quietem &c. habens: ita & totius humani generis historia tota diuinitus descripta in quouis seorsim homine suas repræsentationes habet, adeo, vt nemo hominum sit, qui non suum Deum & satanam, suum paradisum & infernum, suam arborem vitæ & mortis, suasque tentationes & luctas, suas victorias & clades, suum Cainum & Abelem, verbo, semen mulieris & semen serpentis intra se habeat, prævalente in aliis alio semine.

22. Quoties igitur homo christianus diuinas legit scripturas, magni vsus erit obseruare, *vt non tanquam alienas, extra se spectatas, sed tanquam in se-*

mili-

milium negotiorum speculo spectanda consideret: semper in locum illius, de quo ibi agitur (seu pius, seu impius fuerit) seipsum statuens, sibique ipsi omnia, quæ dici audiet, vel agi spectabit, applicans. Deus enim, quia ex æternitate sua prospectans omnia secula, cum omnibus, quæ vnquam vsquam fiunt, semper in obtutu habet, semperque Deus Deus est, qui non mutatur: necessario fit, vt, quicquid vlla occasione vlli hominum dixit, aut fecit, (boni vel mali) eadem omnibus talibus dicat, & faciat semper: ad normam æternæ suæ iustitiæ, vt *bonis bene, malis male sit &c.* Tenta, pie Christiane, si nondum tentasti. Incipe hoc modo euoluere biblicum codicem, (vt, quicquid vnquam videbis Deo placuisse, pleno feruore imiteris: quicquid displicuisse, odio pleno auerseris) videbis, te *de lumine in lumen, &*

de

de virtute in virtutem iturum, ad Deum vſque Deorum in Sion. (Pſal. 84. 8.)

23. *Nec deſperandum, ſi primo ſtatim aggreſſu neceſſariæ huius methodi fructus ad plenum ſe non prodat.* Dantur enim vbique rerum gradus: nec aliquid vnquam ſimul natum fuit & maturuit. Ideo ſcholæ chriſtianæ (rationaliter inſtitutæ) in claſſes diuidi conſueuerunt: diuidi ergo hæc etiam ſuprema ſapientiæ Dei ſchola poteſt. Vt nimirum, communem cum apoſtolis ſcopum habentes, *erudire omnem hominem omni ſapientia, & exhibere omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu* (Col. 1, 21.) per diuinum id librum, Biblia, obtineant, trino actu opus eſt. 1. *Ad cognoſcendum hiſtorias biblicas omnes.* 2. *Ad percipiendum verum ſenſum omnium fidei, charitatis, ſpeique articulorum.* 3. *Demum*

mum ad transformandum ſeſe (pleno iam ſpiritus feruore) *in hominem nouum ſecundum Deum, in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* (Eph. 4, 24. Col. 3, 20. 2. Cor. 2, 18.) Primus gradus eſſet velut Chriſtianiſmi tirocinium; ſecundus militia ipſa; tertius victoria & triumphus. Aut (antiquos huc accommodando typos) in primo gradu eſſent Chriſtiani tanquam *Leuitæ*, in templi atrio miniſtrantes: in ſecundo tanquam *ſacerdotes*, in ſanctuario fungentes: in tertio quisque Chriſtianus perfectus, Chriſto conformis, ſtaret iam tanquam *Pontifex* in decoro ſanctitatis, ipſum ſanctum ſanctorum (cœlum) ingredi paratus.

24. *Hac vero ratione ſola Biblia Chriſtianis τὸ πᾶν, ſeu vnum neceſſarium eſſent*, dicet quis? Reſp. Ita, ſi ſecundum Deum ſapientes eſſe quærimus, ſicut Maria, ad pedes Chriſti

conſi-

confidentes. Reuera enim ſcriptura diuina æternæ ſapientiæ ſubſellium eſt. Nec tamen reliqui duo libri (*mundus & mens*) fruſtra dati ſunt, ſed vt ſupremo illi viam parent, ſimulque ad externas præſentis vitæ neceſſitates nos inſtruant: quo ſic *ad æternitatem ſapiamus, vt in ſeculo etiam ne deſipiamus.* Quam autem reliqui duo diuini libri ad ſupremum illum arcanum ſapientiæ gradum nos promouendi vim habeant, admirabile ſpecimen ante duo ſecula dedit RAYMUNDUS de SABUNDE libro, cui titulum fecit: THEOLOGIA NATURALIS, ſiue CREATURARUM LIBER. Vbi, creaturis omnibus in claſſes quatuor (ſecundum *eſſe, viuere, ſentire, intelligere.*) diſtributis, omnia, quæ ad DEI & HOMINIS cognitionem, æternitatemque, illius gloriam, & huius

ſalutem ſpectant, tam apodictice deducit, vt contradicere non liceat. Liber eſt capitum 330. Venetiis, Lugduni, Francofurti editus: ob prolixitatem tamen, & eorundem crebram repetitionem, ſtylique (quam a ſui ſeculi barbarie traxit) ſcabritiem, paucioribus, quam optandum erat, notus, aut lectus; ideoque a nobis contractior & lucidior Amſtelodami nuper editus. Sed iacet ſic etiam, merx ſine emptore, mundo inter margaritas & quiſquilias non diſtinguente, labyrinthisque ſuis potius, quam ſubminiſtratis vndecunque Ariadnes filis, attendente.

25. *Sed & alia librorum Dei epitome* (maioris lucis *deſiderio ac ſpe*) *optari nobis & condi cœpta eſt ſub PANSOPHIÆ CHRISTIANÆ nomine*, per quam nihil aliud intellectum volui, quam *neceſſariorum tabulaturam perpetu-*

petuam; vt, dato quocunque honeſto deſiderio (in rebus ſiue hanc, ſiue futuram vitam ſpectantibus) *per quæ media, & quomodo adhibitis mediis, ad ſcopum recta iri, ſemperque veniri poſſit, pateat.* Quod opus (ſi perfici poſſet) non literatis tantum & ſcholis, ſed humano generi, magno fore vſui (tanquam ex infinitis labyrinthis exitum feliciter monſtrans filum) neſcio, cur dubitari debeat. Et tamen reperti ſunt, qui propoſitum hoc aut tanquam inutilem curioſitatem ſugillarunt, aut tanquam rem præſtitu impoſſibilem contemſerunt: pauciſſimi reperti, qui æſtimarunt, votaque adiunxerunt: qui vero manum admoueret, nemo, tametſi prudentiores vnius hominis vires tantum opus excedere agnoſcerent.

26. *Quid ergo tandem pro ſcholis ex hac Chriſti regula conſilii?* Reſp. Si eam plane ſequi animum inducerent,

necessario sibi *solum unum magistrum* sequendum statuerent, *Christum*, aliis ducibus (præsertim e cæca gentilium turba) missis omnibus. *Unam item bibliothecam Dei*, variis humanis aut omissis, aut non nisi summa prudentia delectis, & ad diuinæ sapientiæ harmoniam redactis. *Methodum denique Christi*, quæ tota practica est, veritatem requirens, non pompam & fucum; fulmineque percellens eos, *qui dicunt, & non faciunt.* (Matth. 23, 3.)

27. Si vero academiæ morem receptum (professiones secundum facultates, *Philosophicam*, *Medicam*, *Iuridicam*, *Theologicam distribuendi*) retinent, bonum esset, addi vbique *PROFESSOREM NECESSITATUM*, *siue FRUGALITATIS*, qui publicis lectionibus, priuatisque exercitiis, *quantum sit, quo carere possunt homines*, *sapi-*

ſapienter doceret. Sicut & *eloquentiæ Laconicæ Profeſſorem inſtitui*, qui, iuuenes manu potius, quam lingua eſſe promptos, doceret, Aſiaticique multiloquii vanitatem dedoceret, admodum eſſet vtile. Nam & hoc diuinæ Chriſti ſapientiæ pars eſt, *ſcire, tacere, ſolaque neceſſaria loqui*; ſiue Deum alloquimur, ſiue homines. (Matth. 6, 7.) Graue quippe iudicium pro quouis otioſo verbo, etiam vnico, a viuorum & mortuorum iudice denuntiatum eſt. (c. 12, 36.)

Caput VII.

Quomodo Politici humanæ ſocietatis commercia ſic ad regulam Chriſti moderari queant, vt omnia familiarum, rerumpublicarum, regnorumque in tranquillo ſint.

§. 1.

AD rerum tranquillitatem quodnam vnum neceſſarium eſt?

CONCORDIA, gluten illud animorum, omnia societatis membra in vnitate continens, in plura enim si abeunt sententiæ, electiones, studia, conatus, actum est de incolumitate. *Omne regnum aduersus sese diuisum desolabitur*, inquit Christus: tam necessario, vt ædificium, solutis tectorum, parietum, columnarum, fundamentique vinculis, necessario ruit.

2. *Ad conseruandam vero concordiam quid est necessarium?* Resp. Ordo personarum & actionum, vt alii præsint, alii subsint, & quisque, quid sibi suo loco & tempore agendum sit, sciat. Omnia libere sine coactiua vi, & rationabiliter, sine dolo & fraude. Humana enim natura humanis modis regi vult, ductu magis, quam tractu, suasione, quam coactione: quippe ad imaginem Dei rationalis, & libera, suique prorsus iuris facta. Imperandi

di ergo artificium ſapientia eſt, non vis; prudentia, non laqueus. Nam conditio naturæ humanæ deterior eſſe non debet belluina, cum nec bos, canis, felis, aliudue animal ferociter tractari patiatur; irritatum mox ferit, mordet, lancinat, aut (ſi poteſt) fugit. Equus etiam generoſus ſeſſorem peritum lubens vehit; imperitum excutit: quod non tantum Alexander expertus cum Bucephalo ſuo, ſed & Roboam cum regno ſuo, infinitique alii. Prorſus ergo ad perfectam concordiam aut liberalis æqualitas, aut liberale imperium, & liberale obſequium requiritur: quia communis LIBERTAS (tanquam communis naturæ humanæ dos, communisque in nobis diuinæ imaginis character) ſponte agendorum dux & lux eſt.

3. Communis vero LIBERTAS? Atqui hæc facile in licentiam & diſſolutio-

nem transit, confusionemque rerum affert? Resp. Quid non optimarum etiam rerum in abusum rapitur? an ideo reiiciemus omnia? Libertatis abusus coercendus est *legibus*, exorbitationum freno. Legibus autem dandi *custodes*, *magistratus*, qui autoritate ac potestate armati bonos præmiis, & malos pœnis afficiant. Ita facile obtinetur, vt, vnoquoque honeste viuente, neminem lædente, ius suum cuique tribuente, tranquilla sint omnia.

4. *Vnde igitur tot rerum humanarum confusiones & labyrinthi?* A neglectu *vnius necessarii*, admissione vero plurium *non-necessariorum*. Quæ illa? *I. Multitudo regentium. II. Multitudo legum. III. Multitudo leguleiorum, iudicia publica peruertentium. IV. Multitudo ceremoniarum, rerum veritatem obumbrantium. V. Legum aspernatio & violatio, quam RATIONEM*

NEM STATUS vocant. VI. Regentium æmulationes mutuæ. VII. Aperta denique bella, belluinique furores.

5. *Regentium multitudinem* non esse saluti reipublicæ, ab omni æuo obseruatum est. Hinc illud: *Non, multos regnare, bonum est: rex vnicus esto.* Et adagium: *Imperatorum multitudo perdidit Cariam.* Quoties enim cura eiusdem reipublicæ, aut regni, pluribus committitur, facile plures illi (quia, quot capita, tot sensus) in diuersa studia scinduntur, & in factiones abeunt: quippe vbi quisque sua quærens post se, quoscunque potest, trahit, aliis itidem partes suas non negligentibus. Hinc natura cuiuis corpori viuo, tametsi membris numerosissimo (vt est humanum, elephantinum, balænæ) non nisi vnam attribuit animam. Tametsi autem in liberis rebuspubli-

cis, ad publicas agendum curas, multi eliguntur, illi tamen plures certis concordiæ legibus ita connectuntur, vt totus ſenatus ceu vna anima ſit, ſub vno conſule, ceu capite. Si extraordinarie diſſidere contingat, extremum remedium eſt ad vnitatem confugere, totam poteſtatem conferendo in vnum, cui Romæ *dictatoris* nomen erat, ſalutari ſemper euentu. Tam ecce euidenter veritas regulæ Chriſti: *VNUM eſt NECESSARIUM*, hic etiam ſigillatur.

6. *De legibus dubitari poſſet, annon ad omnes humanas actiones certas habere ſit ſalutare, quibus nempe homines vbique circumſcripti exorbitare audeant nuſquam?* Sed reſpondet Apoſtolus, *vbi non eſt lex, ibi non eſt transgreſſio;* (Rom. 4, 15.) *ergo vbi leges multæ, transgreſſiones multæ.* Quia *nitimur in vetitum ſemper, cupimusque*

que negata, vt gentilis Poëta obseruauit. Verum est, quod Iureconsulti pronunciant: *ex malis moribus nascuntur bonæ leges*; sed & verum: quanto plures leges, tanto facilius humana memoria fatiscit, proteruia vero prouocatur. Triste hactenus exemplum in populo Iudaico, optimis a Deo legibus præ cunctis populis instructo, (Deut. 4, 6. 8.) præ cunctis tamen gentibus abominabilius peccante. (Ezech. 5, 6. 7.) Et in nobis ipsis nos Christiani, qui corpus juris ciuilis a Romanis imperatoribus sexcenties pluribus, quam Mosaicæ fuerunt, legibus instructum, prætereaque iure Canonico a Romanis pontificibus duplo auctius factum habemus, & quid tamen ad mores emendandum proficitur? Nusquam gentium maiores patrantur abominationes. O quam hic alta voce cla-

mandum venit: *Vnum est necessarium!* Ecquodnam illud vnum? Vnus *decalogus*, ad quem Deus omnia sua præcepta reduxit, & quem vnum si iuris doctores practice docere, populus christianus practice discere vellent, quantis labyrinthis carere possemus? Multo magis, si decalogi insuper compendium a Christo monstratum, *dilectionem Dei & proximi*, amplecti vellemus, mox appareret, *legem non esse positam iusto*, (1. Tim. 1, 9.) h. e. vere Deum timentibus, & proximos diligentibus, nihil opus esse legibus multis; ipsa conscientia quemque doceret omnia, per quæ Deo & hominibus placere possint & velint, plena lubentia.

7. *De interpretibus legum (quos iureconsultos vocant) quid dicemus? minuuntne, an augent studii huius tricas?* Minuere dicunt, sed res loquitur

tur contrarium. Tot enim centena, & centies centena ſcriptitantur volumina, & in quolibet volumine tot alii autores allegantur, vt tanquam per denſiſſimas ſyluas, perpetuaque ſpineta incedendum ſit. Quod cacoëthes (per ambages lectorem ductandi & remorandi) vtinam imitari Philoſophis, Medicis, Theologis nunquam veniſſet in mentem! Sed nullus iam fere liber nouus editur, non prolixo autorum catalogo effartus, etiam vbi nihil opus, tantummodo ad multæ lectionis oſtentationem. Quaſi vero magnæ laudis ſit chymicum ſe iactare, & transfuſorem agere; aut lucem promittendo, vmbram oſtentare. Vere quidam æuo nouo vere ſapiens vir ſcripſit: *cum breuis vita ſit, ars longa, nunquam eam poſſidebimus, niſi abbreuiatam. Abbreuiatam autem nunquam dabit, qui non libellos, ſed elephan-*

phantina volumina ſcribit: teſtem eorum, quæ ſcribit, non ipſam palpabilem rerum veritatem faciens, ſed prece aut pretio conductorum, vel crinibus attractorum adſtipulatorum cateruas adducens.

8. *Augent iuris labyrinthos ipſæ forenſes actiones, iuridicialesque in illis proceſſus, quos cauſidici mille modis torquere artis eſſe putant.* Super qua re BERNHARDUS fuit lamentatus, Chriſtianos non ſecundum leges viuere Chriſti, ſed ſecundum leges ciuiles, a gentibus deriuatas. Quod inde putat venire, quia nequitia humana diuinam legem obſeruare diffidit; cum Chriſtus aliud tribunal non erexerit, quam conſcientiæ, tum priuatim domi cuique, tum in eccleſia. *Et o beati nos* (inquit) *ſi non alio indigeamus tribunali: nemoque male ſibi conſcius defenſionem quæreret ab aduocatis,*

tis, & conductis aliunde testibus. Hæc iste Theologus, *libro de consideratione.* Sed & iureconsulti nonnulli, quam in vulgari Christianorum iuris processu nihil christiani sit, viderunt: interque hos NICOLAUS VIGELIUS, qui publicato libello germanico, (Richter-Büchlein an. 1579.) *quantum damni iurisprudentia, (quæ nunc obtinet) & gloriæ Dei, & publicæ vtilitati faciat*, in præfatione ostendit; libello vero ipso *quanta simplicitate, facilitate, æquitate iudicia de quibuscunque incidentibus controuersiis administrari queant, docet.* Adiuncta denique ad imperii ordinis orationе in causas corruptæ iurisprudentiæ inquirens inter alias *eloquentiæ abusum* ponit: eo tendens, vt pateat, si Christiani essent Christiani (veritatem agere & loqui gnari) iuris humani scientiam totam fore superfluam.

9. Si-

vt nemo fere iam res agat, nugas fere omnes, non vano iam dicterio: *mundum ceremoniis regi*; item: *mundum vniuersum agere histrioniam.* Vbique enim adulationum & blandimentorum plus est, quam veritatis: vmbræ sine corpore, plumæ sine aue, phaleræ sine equo, pedum sine pastore, pallium sine philosopho, sonus sine mente, h. e. nomina sine re passim occurrunt. Modo quid oculos, aures, phantasiam impleat, in rerum viscera nemo facile inquirit. Exemplum do. *Si principi ad exteros legatione opus est, quid quæritur?* Moderna methodo persona spectabilis, comitatus ingens, pompa multa, eoque dapsiles e publico sumtus. Methodo autem Christi nihil hic necessarium est, nisi *vir prudens & fidelis*, etiamsi solus mittatur. Qualem legatum Deus in mundum misit, Filium suum solitarium,

um, mitem, ſine pompa & clamore ſua agentem; donec in terra iudicium peractum eſt. (Ieſ. 42, 2. 5.) Hoc autem dum non attendit mundus, neque res æſtimare ex dignitate ſua, ſed ex pigmentis tantum diſcit, ſeipſum faſcinat, ipſisque ſuis vanitatum tricis ſeſe inuoluit ſine fine.

12. Ex hac vmbras rebus præferendi peſſima conſuetudine nata eſt alia, *humanam ſocietatem premens & perimens peſtis, diuinaque iura pro arbitrio infringendi;* dummodo ſtatum, quem ſibi quis propoſuit, conſolidandi ſpes ſit. Vocant *rationem ſtatus*, intelliguntque licentiam quiduis agendi, quod proprijs commodis ſeruiat, nullis in contrarium obſtantibus pactis aut promiſſis. Quod ſi conceditur, (concedi autem ſibi alii aliorum exemplo poſtulant) actum erit de mutua inter homines fide, nihil a fœdifragio

gio tutum erit, non IUS regnabit iam, ſed VIS, aut DOLUS. Et ſic omnia humana negotia merus erunt labyrinthus ſine exitu, meraque Siſyphea ſaxa, nuſquam firmiter figi valentia: & omnis vicinalis amoris & concordiæ ſpes mera fugacia Tantali poma; totus denique mundus vertumnorum Deo illudentium, Deumque irritantium palæſtra. *Circuite vias Ieruſalem*, inquit Deus, *diſquirite per plateas eius, an inuenturi virum, facientem iudicium, quærentem fidem; & ero illis propitius. Ecce autem, etiam cum iurant, falſo iurant!* (Ier. 5, 1. 2.) Quia vero ibi additur: *Domine, oculi tui reſpiciunt fidem*, (verſ. 3.) annon iram effugiendi conſilium datur? Vtique: nempe, vt veritatem loquatur quisque in corde ſuo, (Pſ. 5.) non aliud ore pronunciando, quam; *eſt, eſt, non, non.* (Matth. 5, 37.) Ingens &

hoc

hoc foret tricarum mundi compendium, vere necessarium.

13. *Sextum* rebus humanis labyrinthum affert *regiminum diuersitas*, & *ortæ hinc æmulationes*, *mundum perpetuo inquietantes.* De optima enim regiminis forma conueniri huc vsque non potest: meliusne populus regatur a seipso, *democratice?* an per populi primores, *aristocratice?* vel per caput vnum, *hæreditarie* regnans, *monarchice?* aliis pro hoc, aliis pro isto vel illo statu contendentibus, varia cum collisione, per sex iam fere annorum millia. Ecquid vero hic *vnum necessarium?* Resp. *Dare Deo, quod Dei, & Cæsari, quod Cæsaris est,* (Matth. 22, 21.) siue, *subesse omni humanæ creaturæ propter Deum,* (1. Pet. 2, 13.) h. e. qualiscunque in societate humana institutus fuerit ordo, eum non turbare, sed tueri. Deus quippe homi-

homines ad libertatem condidit, nulli eos creaturæ mancipans, ne angelis quidem: ſed quia vbicunque multitudo, ibi confuſio eſt, niſi multitudo vi ordinis in vnitatem reducatur; ordinis illius arbitrium Deus penes ipſos homines reliquit, quod res ipſa loquitur. Nunquam enim apertum de re illa mandatum dedit, exempla tantum in animantibus, ſocialem vitam agentibus, nempe *in formicis ſtatus democratici, in apibus monarchici.* Homines autem dum ante diluuium per familiarum patres regerentur, erat ſtatus democraticus, ariſtocratico-mixtus, quem non improbabat Deus. Neque cum a diluuio Nimrod familias, & dehinc gentes imperio ſuo ſubdere tentans, monarchiam fundauit. Quæ regnorum origo eſt apoſtolo *humana creatura* dicta, (1. Pet. 2, 13.) non improbata Deo, quia Deus ordinis eſt.

14. *Si*

14. *Si iam de regno quæratur, quid illi neceſſarium ſit?* reſpondebitur ex regula Chriſti, *vnum eſt neceſſarium, nempe vni regno vnus rex*: ſicut vni corpori vnum caput, vni capiti vnus pileus, vni mundo vnus ſol ſufficit. *Non capit regnum duos*, dictum eſt: ergo neque rex vnus regna duo, alias deerit proportio harmoniæ. Vt enim in ſtatu coniugali fidelis copula vnius mariti cum marita vna coniugalem felicitatem abſoluit: ita in ſtatu regali ſimiliter *vnus rex vni regno iunctus*; ſicut vnum caput vni ſuo corpori. Si rex vnus plura regna quærit, Labyrinthos quærit, Siſyphea ſaxa quærit, Tantaleam eſuriem & ſitim quærit: cum etiam vnicum recte adminiſtratum regnum infinitam negotiorum molem (h.e. labyrinthum) afferre ſatis idoneum ſit.

15. *Vt ergo regnum regi ſuo ne laby-*

rinthus sit, quid opus erit? Resp. Scire, posse, velle regere. *Scire*, nempe iusti & æqui leges, pacisque ac belli artes, vt circa omnia oculatus existens, quid fiat, & fieri conueniat, videat per se, non per aliena conspicilla. (Prou. 20, 8.) *Equum & mulum regi necesse est*, inquit Dauid, quia intellectu carent: at *regem, aliorum rectorem, ab aliis regi irrationabile est*. Requiritur etiam *Velle*, h. e. ignauia vel voluptatibus non auocari, sed gaudere in iis esse, quæ publicæ salutis sunt. *Posse* tandem requiritur, h. e. autoritate, potentia, heroicoque animo armatum esse, ad omnibus, quæ publicam turbare vellent quietem, obsistendum. Demum sequetur *τὸ regere ac regi*: *regere* scilicet *populum*; *regi* vero *a Deo & legibus*. Quippe sine primo non esset rex, sine secundo plus, quam rex, id est, tyrannus, Deo & hominibus

bus exoſus, ſibi autem ipſi tandem exitioſus. Quod ne eueniat, neceſſe eſt, omnes, qui cum poteſtate præſunt, ita ſe gerere, vt diligantur & metuantur: diligantur a bonis, metuantur a malis. Et quia peritus etiam gubernator naufragium facere, prudens etiam politicus rempubl. præcipitare poteſt; ſi non ſummum rerum præſidem ſibi propitium habeat: huius ergo ſuper omnia metu & reuerentia impleri, ſemperque pie orare ac viuere præ aliis opus habet, quisquis ad rerum clauum ſedet.

16. *Belli gerendi ſi quando ingruit neceſſitas, quid faciendum eſt, vt bellum ne labyrinthus ſit?* Reſp. Aut non inchoandum eſt (pacificis præuentum conſiliis,) aut finiendum cito, aut gerendum prudenter, vt ne victoriæ loco cladem afferat. Primum eſt facillimum, difficilius ſecundum, tertium

difficillimum. Christus tamen primum commendare solitus fuit semper, tanquam tutissimum. (Matth. 5, 25. & 37. Luc. 14, 31.) Et quia bellum belluinum quiddam est; homines humanitas & mansuetudo decet, quia lites, iudicio rite suscepto, terminari possunt omnes. (Iob. 34, 4.)

CAPUT VIII.

Quomodo Theologi, ecclesiarumque pastores & episcopi accurata regulæ Christi obseruatione totius ecclesiæ saluti, conscientiarumque quieti consulere ita possint, vt melius nequeat.

§. 1.

REligionum inextricabiles labyrinthos, volubilissima Sisyphea saxa, miserabilesque Tantaleas delusiones si quis spectare velit, inspiciat

ciat ALEXANDRI ROSSÆI *religionum orbis totius descriptionem*: teterrimum chaos & horrorem videbit. Cui confusioni vniuersale remedium si quæritur, non reperietur aliud, præter id, quod regula de *VNO NECESSARIO* suppeditare potest. Nempe vt OMNES redeant ad principia viarum, vnde diuortia facta sunt: h. e. ad primæuam illam religionem, quam primus homo ab vno suo & nostro conditore acceperat. Solus quippe Deus creator, quomodo a creatura sua coli debeat, optime intelligit, docereque id hominem primum potuit, & docuit. Omne autem primum reliquorum in suo genere norma est, vt necessario, si quid in sequentibus degenerauit, ad primam formam suam reuocandum veniat.

2. *Qualis ergo prima religio fuit?* Resp. Simplicissima: quando rerum

conditor homini primo se VNUM *solum* DEUM ostendit, illique a se vno dependentiam (obsequiis æternis testandam) mandauit, promittens illi, sic facienti, vitam sempiternam. (Gen. 2.) Ecce paradisiaca religio quam simplex, *credere vnum DEUM; obsequi vni DEO; sperare vitam a vitæ fonte, DEO*. Nec aliam patri fidelium, Abrahamo, tradebat DEUS, dicendo: *noli timere, Abraham, ego sum DEUS omnipotens*. (Ecce fides in vnum DEUM simplicissima!) *Ambula coram me, & esto integer*. (Ecce vita pura & simplex! omnia agere, vt in conspectu DEI.) *Et ego ero clypeus tuus, & merces tua magna valde*. (Ecce spes simplex & gloriosa! Gen. 15, 1. & 17, 1.) Similem DEI cultum simplicissimum docuit Moses: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde &c. proximumque tuum sicuti teipsum.*

ipsum. Tametsi enim varia quoque præcepta fuerint per Mosen tradita, illa tamen exercitia tantum fuerunt *obedientiæ*, aut typi & mysticæ cotes *fidei*, roboramentaque *spei*: quemadmodum mentem suam toties per prophetas declarabat DEUS. Exempli gratia per Micheam: *Indicatum tibi est, o homo, quid sit bonum, & quid a te requirat Dominus. Nempe vt facias ius, & ames misericordiam, & modeste ambules cum DEO tuo.* (Mich. 6, 8.) Hoc ecce totum religionis fuit ante legem & sub lege, DEUM prehendere *fide*, DEUM amplecti *charitate*, DEUM tenere *spe*! Hoc enim vnum illud perpetuo necessarium est, *dependere a DEO suo*, tum cogitatione & intellectu, tum voluntate & affectu, tum studio & viribus totis.

3. A quo suo centro, DEO, quia

totus mundus exerrauit, perque rerum circumferentias gyrans, labyrinthos oberrat sine exitu, saxa volutat sine requie, desiderata sua captat sine adeptione: *non restat, nisi VNUM hoc NECESSARIUM, vt homo quisque a se & rebus exeundo in DEUM redeat.* Quod vt homines facilius & intelligere, & admittere, & imitari possent, placuit ipsi rerum Reparatori rem inchoare, exemplumque in seipso monstrare. Adsumta igitur humanitate Filius DEI, nobisque per omnia similis factus (excepto peccato) docuit homines verbo & exemplo, *abnegare seipsos ex toto, redireque ad DEUM ex toto, in æternum se agglutinando DEO soli, fide, charitate, spe.* Hæc est euangelii summa, hoc omnibus saluandis *vnum necessarium.* Vere enim Christus solus dicere potuit: *ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad patrem,*

patrem, nisi per me. (Ioh. 14, 6.) Vere: *ego sum lux mundi, qui me sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* (Ioh. 8, 12.) Vere: *ad me venite omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia ego mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* (Matth. 11, 28.) Sed huius necessarii o quam obliuiscuntur Christiani?

4. *Quinam Christiani?* Christianus dicitur discipulus & imitator Christi, qui scilicet, quod Christus docuit, credit, quod mandauit, facit, quod promisit, sperat. Verus ergo Christianus is solus vere est, qui Christi dogmata vere credit, mandata vere facit, promissis vere fidit. Si sublimius vellemus loqui, posset dici *Christianus*

nus, homo Christo conformis, perque conformitatem illam deificandus. Nam homo per naturam deificari appetit; quia, cum omne ens perfici ac sublimari appetat, homo autem nihil se sublimius habeat præter DEUM, appetit ergo fieri, sicut DEUS: eoque appetitu a Satana (tanquam ansa seu hamo) captus & deceptus fuit. *Christus ergo DEI Filius, quod Satan falso offerebat, vere confert, potestatem dans filiis hominum, filios DEI fieri.* (Ioh. 1, 12. 13. 14.) Ad quæ verba pulchre ORIGENES: *Ad hoc verbum* (DEUS) *in carnem descendit, vt caro, i. e. homo credens, per carnem in verbum ascendat, vt per naturalem Filium vnigenitum multi efficiantur filii adoptiui. Non propter semetipsum VERBUM CARO FACTUM EST, sed propter nos, qui non nisi per verbi carnem potuissemus in DEI filios transmutari.* *Solus*

Solus descendit, vt cum multis ascenderet: de hominibus FACIENS DEOS, qui de (seipso) DEO fecerat hominem.

5. Magna hæc. *Sed, vt homines Christo reddantur conformes, quid opus est?* Solum Christum vt perfectissimum fidei, & vitæ, & spei exemplar intuendo, ad illud omnia sua cogitata, dicta, facta ita componere, vt DEUS Pater, Filii sui imaginem in iis agnoscens, pro genuinis quoque filiis suis habeat, & cum Christo in cœlestibus considere faciat. (Eph. 2, 6.) Quod Scriptura varie alias exponit: vt *mentem habere Christi, induere Christum, ambulare in Christo, non viuere iam sibi, sed Deo; imo non viuere amplius nos, sed Christum in nobis.* Et denique ita hominem fidelem a spiritu Christi regi, quomodo corporis nostri membra a spiritu, e capite defluente, omniaque

que totius corporis perfluente & mouente, reguntur.

6. *Toti autem credentium corpori, ecclesiæ christianæ, quid maxime necessarium est?* CONCORDIA VNIUERSALIS, quam Christus *dilectionem* vocauit, & in tesseram suis, siue notam ecclesiæ suæ dedit. (Ioh. 13, 35.) Apostoli vero *mutuam charitatem* tanquam vinculum perfectionis commendabant, (Col. 3. 14.) suadentes *vnitatem spiritus* sollicite seruare in vinculo pacis, tanquam vnum corpus essent omnes, vnusque spiritus, omnes in eandem spem vocati sub vno domino, vna fide, vno baptismate &c. non obstante diuersitate donationum Christi. (Eph. 4, 3. 7.) Summa autem concordiæ Christianorum lex est trina; *seruare in omnibus necessariis vnitatem; in minus necessariis* (quæ adiaphora vocant) *libertatem; in omnibus erga omnes charitatem.*

7.

7. *Suntne tales Christiani?* Erant Apostolorum tempore, cum totius multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, neque quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed communia erant omnibus omnia. (Act. 4, 32.) Sicut & aliquandiu post Apostolorum tempora, cum non pro Christo tantum, sed alii pro aliis animas ponerent. (1. Ioh. 3, 16.) Postea, frigescente paulatim charitate, vt regulæ Christi de vno necessario, ita & praxis eius penitus obliti, sensimque ad non-necessaria, impertinentia, noxia, exitiosa ita prolapsi sunt, vt omnia iam sint labyrinthus, neque tandem ecclesia videatur contradistincta mundo, tanquam cœtus euocatorum e mundo, sed sit ipsi mundus nomine Christi tectus. *An ergo ecclesiam, Christi nauem, Thesei esse factam dicemus?* quam Plutarchus ab Atheniensibus toties fuisse reparatam scribit, vt,

nouis subinde asseribus substitutis, de veteribus ne vna quidem tabula superesset; *Thesei nauem* tamen vocari non desiisse? Non putem ita loquendum: quia Christus nauem ecclesiæ super seipsum ita ædificauit, vt opus in ea suum perire non possit, quicquid etiam alieni operis, humani vel satanici, accedat. Nempe quomodo in agro Domini, bono semine consito, inimicus zizania superseminare potuit tritico, tollere triticum ipsum non potuit; (Matth. 13, 25.) ita ecclesiæ fundamento superstrui possunt (præter aurum, argentum, gemmas) ligna etiam, fœnum, stipula: non tamen vt per id aurum & argentum pereant, sed vt probationis igne purificentur, stipulis & scoriis exustis.

8. Sic ergo habendum. *Quicquid inter Christianos Christi remanet* (de doctrina eius, vita eius, & quibuscunque diuinis institutis eius) *id totum*

triti-

triticum est, aurum est, gemmæ sunt, vnum perpetuo necessarium est: quicquid vero humanarum adinuentionum & profanationum accessit, id omne zizania sunt, fœnumque ac stipula sunt, ad comburendum comparata. Aut, vt ad præsens institutum loquamur, *Labyrinthi sunt, Sisyphea saxa sunt, Tantaleæ illusiones sunt*, quibus in immensum adauctis, nihil sub cœlo esse consilii, nisi *vt ad vnam Christi regulam de VNO NECESSARIO redeamus omnes*, iam demonstrandum est.

9. Summa quæstio esse potest, *Christianis, per tot & tantos labyrinthos dilapsis, quid est vnum necessarium?* Resp. CHRISTUM, omnis perfectionis exemplar, cœlo nobis demissum, vnice intueri, & ad illud omnia nostra componere: sic mandante, & in figura ad Mosen edicente Deo: *inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* (Exod. 25, 40.)

Super Christum autem bis facta vox de cœlo: *Hic est Filius meus dilectus, hunc audite.* (Matth. 3, 17. & 17, 6.) Ipse autem Christus: *Venite ad me omnes, discite a me, inuenietis requiem &c.* (c. 11, 27. &c.)

10. *Quæ summa est eorum, quæ a Christo discere habemus?* Omnia, quæ Christus fecit & docuit, (Act. 1, 1.) dixit enim ille: *exemplum dedi vobis, vt, quemadmodum ego feci, faciatis.* (Ioh. 13, 15.) *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis &c. Omnia enim, quæ audiui a patre meo, nota feci vobis.* (Ioh. 15.) Quæ, qualia sint, ex libris euangelii cognosci potest, eleganterque in epitomen ab Erasmo (in compendio Theologiæ veræ) redactum est, his verbis:

CHRISTUS, cœlestis doctor, nouum quendam populum in terris instituit, qui totus e cœlo penderet, & omnibus huius mundi præsidiis diffisus, alio quo-

tam

dam modo diues esset, alio sapiens, alio nobilis, alio potens, alio felix, quique contemptu rerum omnium, quas vulgus admiratur, felicitatem consequeretur. Qui nesciret liuorem aut inuidentiam, nimirum oculo simplici: qui nesciret spurcam libidinem, vtpote sponte sua castratus, angelorum vitam in carne meditans: qui nesciret diuortium, quippe nihil non malorum vel ferens, vel emendans: qui nesciret iusiurandum, vt qui nec diffideret cuiquam, nec falleret quenquam; nesciret pecuniæ studium, vt cuius thesaurus in cœlis esset repositus. Non titillaretur inani gloria, vt qui ad vnius CHRISTI gloriam referret omnia: nesciret ambitionem, vtpote qui, quo maior esset, hoc magis sese propter CHRISTUM submitteret omnibus. Qui nesciret (ne lacessitus quidem) vel irasci, vel maledicere, nedum vlcisci; quippe qui & de male merentibus bene mereri studeret.

Qui ea morum esset innocentia, vt vel ab ethnicis comprobarentur: qui ad infantulorum puritatem ac simplicitatem veluti renatus esset: qui volucrum ac liliorum ritu in diem viueret, inter quos summa esset concordia, nec alia prorsus, quam membrorum corporis inter ipsa. Inter quos mutua charitas omnia faceret communia, vt, siue quid esset boni, succurreretur, cui deesset; siue mali quidpiam, aut tolleretur, aut certe leniretur officio. Qui doctore spiritu cœlesti sic saperet, qui ad exemplum CHRISTI sic viueret, vt sol, vt lux esset orbis, vt ciuitas esset in edito sita, omnibusque vndique conspicua: qui quicquid posset, id omnibus iuuandis posset. Cui vita hæc vilis esset, mors optanda immortalitatis desiderio: qui nec tyrannidem timeret, nec mortem, nec ipsum denique Satanam, vnius CHRISTI præsidio fretus: qui modis omnibus sic ageret,

geret, vt ad extremum illum diem semper esset accinctus ac paratus.

11. Ecce ab ipso Deo Saluatore monstratam nouam, breuem, sanctam Sionis viam! per quam non transibunt polluti? Via tam directa, vt stulti non errent per eam. (Ies. 35, 4. 8.) Cui quicquid inter Christianos dissimile reperitur (reperiuntur autem infinita viarum diuortia) aut inuium est, aut deuium, in salebras & scrobes, præcipitiaque abducens. Legat quis vel vnicum euangelii caput Matthæi quintum, & conferat cum modernis Christianorum moribus; agnoscet, quam dissona facta sint omnia, vereque *vnum necessarium Christianis omnibus esse, AD CHRISTUM REUERTI,* vtpote vnum illum cœlo missum magistrum, qui neminem ad arborem curiosæ scientiæ, omnes ad arborem vitæ vocans, non verba exigit, sed opera, exigitque nos *in operibus pietatis tam*

perfectos, vt ipse cœlestis pater perfectus est. (cap. 5, 48.)

12. *Si dices, impossibile esse homini tam perfecte esse, vt Deus in cœlis est,* audi, quid respondeat: *quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum.* (Luc. 18, 27.) Quasi dicat, quod nemo potest ex seipso, poterit auxilio DEI; sicut expresse Paulus: *omnia possum in eo, qui me confortat.* (Phil. 4, 13.) Ergo si non tales sumus Christiani, qualis est Christus, culpa non in illo est, qui auxilia offert; sed in nobis, qui, oblata respuendo, quid in corrumpendis nobis potuerit Adam, iactamus semper, quid in restituendis nobis possit Christus, experiri volumus nunquam. An & mendacii arguere veritatem ipsam volumus, dicentem: *iugum meum facile est, & onus meum leue,* (Matth. 11, 30.) Vere enim facile est, quod cum natura humana (quam Christus collapsam sinceritati

suæ

suæ restituere venit) congruit: vere leue, quod, nullis impertinentibus grauatum, sola necessaria continet. Sed nos renasci, & ex Adamo vetere in nouum transire tardi, fingimus nobis difficultates, vbi non sunt; veras autem difficultates, salebras, tricas, labyrinthos, (in quos deprauatæ naturæ cupiditatis, aut humanarum constitutionum & consuetudinum sarcinæ nos coniiciunt) expendere nolumus, tandemque nec videre possumus, licet, quicquid vere aspicimus, labyrinthus sit. Quod vt patescat, & quomodo vbique hic nobis regula Christi subuenire possit, eia tricas illas nostras partito inspiciamus.

13. *Theologia hodierna, qualis in scholis traditur, quid est?* Explicatio scripturarum per scripturas esse debebat, qualis Esdræ sacerdotis fuit. (Neh. 8, vers. 8. 9.) Sed hodie prophetas & apostolos explicant non prophetæ & apostoli, vel afflati a Deo viri, sed magi-

giſtri & doctores ab hominibus facti; explicantque vt plurimum non per apoſtolos & prophetas, ſed per Ariſtotelem, (aut, vt nunc volunt, per Carteſium) aut certe hunc, illumue magiſtrum, vel denique per dictamina propriæ rationis, humanis regulis adiutæ. Ita verba Dei lucem accipere iubentur a verbis humanis, & ſenſus diuini a ſenſibus humanis. Cuius conſequens eſt, vt *theologia* plerumque facta ſit *matæologia*, (h.e. vaniloquium, 1. Tim. 1, 6. 7.) pro myſteriisque diuinis venditentur humana commenta. Nec illa vnius generis, ſed pro multitudine eorum, qui ſe populo Dei faciunt duces, magiſtros, patres, (contra expreſſiſſimum Chriſti vetitum Matth. 23.) multiplicia: vnoquoque tamen illorum, *hic eſt Chriſtus, illic eſt*, clamante, & populo, ſuam theologiam eſſe veram lucem, ſuadente. Quod, quantam populi chriſtiani faciat diſtractionem,

nem, religionisque ipsius lancinationem & noxas, quis satis explicare potest?

14. Auget labyrinthos, quod de ipso etiam theologiæ principio, seu fundamento, *verbo Dei*, non satis conueniri potest: sufficiatne *verbum scriptum*, prophetici & apostolici libri? an verbum non scriptum, quod *traditiones* vocant, addi necesse sit? *Scriptum item verbum vbi exstet purissime?* In Hebræisne & Græcis codicibus, an in Chaldaicis vel Latinis? Iterum, si in fontibus (Hebræo & Græco) *translationes inde factæ*, (cum variæ sint) *quænam optimæ?* ingentes hic vbique dubitationes, periculosæque nonnullorum assertiones valdé mentes distrahunt, theologiamque rem operosam & lubricam faciunt. Si quem autem Deus denuo excitat, non auditur, non admittitur, non intelligitur, quasi peregrinum quid sonans. (Ies. 28, 11.)

15. *Apostolica perfectio fuit, nihil scire voluisse, præter Christum crucifixum,* (1. Cor. 2, 2.) illamque scientiam non aliunde haurire, quam e Scripturis diuinis. (1. Tim. 3, 16. 17.) Nunc requiritur 7. liberalium artium magisterium, prætereaque *Doctoratus, h. e. omnium controuersiarum peritia:* simplicem Christum nosse, nimis simplex theologia videtur. Videatur libellus: *Bibliotheca Studiosi Theologiæ*, quam multi centeni autores ad scientiam theologicam requirantur, patebit. An vero hoc ad mentem Christi, *vnum est necessarium?* Nempe *vt de DEO, & de arcanis DEI, non nisi ex ore DEI loquamur?* Vtinam potius autor singulis pagellis (quarum totus libellus prope mille habet) inscripsisset illa DEI ad Iosuam verba: *Non recedet volumen legis meæ ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus &c. tunc enim prosperaberis!* (Ios. 1, 8.) Aut

Da-

Dauidis illud : *beatus, qui meditatur in lege Domini die ac nocte* ! (Ps. 1, 2.) Vel Iesaiæ illud : *ad legem & testimonium, quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis lux.* (Ies. 8, 20.) Aut illud Christi : *scrutamini Scripturas.* (Ioh. 5, 39.) Vel illud Pauli : *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum &c. vt perfectus sit homo DEI.* (2. Tim. 3, 16.) Aut denique illud HYPERII : *Theologus in Scripturis nascitur* ! Verum quia nihil horum ibi, sed aliis magistris sexcentis ministerii candidatus obiicitur, quid nisi tot labyrinthis, tot Sisypheis saxis, totque Tantaleis illusionibus obiicitur ? quorum nihil eum saturabit.

16. A tot vero magistris nascuntur tot sectæ inter Christianos, vt nomina fere nos iam deficiant. Et quælibet secta se aut solam ecclesiam, aut purissimam ecclesiæ partem, credit, odiis inter se infinitis implicatæ omnes,

eheu! eheu! Nec reconciliandi ſpem alii aliis relinquunt, irreconciliabilitatis ſcutum aliis alii perpetuo opponentes, *confeſſiones quasdam peculiares*, quas ſibi (poſt Scripturas diuinas) ipſimet cudunt, iisque ſe tanquam caſtellis aut propugnaculis includentes, ſeſe propugnant, & alios oppugnant. Non dico confeſſiones pias (quales eſſe concedamus plerasque) malum quid eſſe per ſe; per accidens tamen, quatenus irreconciliabiliter diſtrahunt, omnino malum ſunt, tollendum in vniuerſum, ſi quando eccleſiæ vulnera curanda ſunt; aut ſemper chriſtiana plebs, quo ſe vertat, neſciet.

17. Ex hoc ſectarum & confeſſionum labyrintho alius naſcitur, *diſputandi pruritus interminabilis*, quo quidem, iam inde a Paradiſi temporibus, eccleſiæ filios intricauit Satan, nunquam tamen perplexius, atque temporibus noſtris. Apoſtoli, & eorum

rum proximi successores pugnabant virtute Spiritus: nunc ad Aristotelica arma, syllogismos, res deuenit, altero iam seculo. *Et quid profectum est? num vel vna controuersia complanata?* Nihil minus; auctæ potius in infinitum. Satan enim sophista nunquam argutando succumbit; sed nos miseri tirones, Euæ filii (æque vt mater nostra) alii post alios a melioribus & verioribus sensim abducti, vsque ad vniuersalem quodammodo a Christi fide, vita, spe apostasiam præcipitamur, eheu!

18. Succurrere debuerant, varieque tentarunt *Synodi & Concilia*; *vniuersalis* nempe *multorum recte sentientium*, contra particulares quorundam aberrationes, *consensus*. Sed & illa iam in labyrinthos inextricabiles versa esse, tam antiquorum, quam recentium querelæ, resque ipsa testantur. Nempe argutus Satan eo rem deduxit, vt quoties non expenduntur, sed numeran-

merantur ſententiæ, ſemper ille plures tenebrarum filios, quos filiis lucis opponat, reperit, vt mendacium de veritate triumphare faciat. Quod ſi ſemel (ſuis artibus) obtinuit, vt pro mendacio & vanitate decreta facta ſint, nouit aſtute ita rem extendere, vt decreta ipſa ſemel facta dementandis, illaqueandisque aliis poſt alios, perpetuo ſeruiant.

19. Miniſtrorum eccleſiæ miſſio, vocatio, functio vt ne res vaga & confuſanea eſſet, varie ab apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus præcautum eſt; & tamen quantæ hic vbique interueniunt ataxiæ? Quam multi currunt non miſſi? quam multi ſe ingerunt non vocati? quam multi ſacris non niſi defunctorie funguntur? non gregem paſcentes dominicum, ſed ſeipſos. Ipſa eccleſiaſtica ſalaria quanto liberalius pro Chriſti ſeruis alicubi conſtituta ſunt, tanto magis ventris mancipia proritant,

tant, vt panem Christi seruis Christi præripere festinent.

20. *Inuigilare debebant ostiarii, ne quis, nisi pastor ouium intraret*, (Ioh. 10, 2. 3.) eoque fine instituti sunt pastores pastorum, episcopi. Sed res abiit in abusum, Simonis Petri zelus aduersus Simonis Magi sacrorum nundinationem exoleuit, (Act. 8, 20.) vbique propemodum venalia facta sunt omnia. Quæ porro res aliis confusionibus, ministeriique corruptionibus aperit ostium.

21. In concionibus verborum Dei loco plerumque humana verba profunduntur, sermocinando ad placitum: aut tempus disputationibus, aliorumque refutationibus teritur; de renascendo, hominibusque in Christum transformandis (ad naturæ diuinæ participandum, (2. Pet. 1, 4.) vix vlla satis digna adhibita cura. Clauium vero altera, ligante, propemodum amissa,

ſa, ſola ſoluens retinetur, veteri Adamo dulce venenum ſine antidoto. Sacramenta denique, in vnitatis, amoris, vitæque noſtræ in Chriſto ſymbolum data, verſa ſunt in acerrimarum contentionum materiam, mutuorum odiorum cotem, ſectarumque fomentum & ſigillum. Eheu! eheu!

22. Breuiter: *omnia Chriſtianorum labyrinthus facta ſunt. Fides*, in millenas articulorum minutias conciſa; quorum ſi vnum neges, hæreticus es. *Vita*, in mille caſus conſcientiæ comminuta; quorum ſi quid non ſeruas, ſcrupulis inuolueris. *Deſideria & ſpes*, plerisque quid, a quo, per quem, qua fiducia, orent aut ſperent, ignorantibus, eoque aut a cæca ſpe ſuſpenſis, aut a certa deſperatione deiectis, aliis totum numinis cultum ipſum aut abiicientibus, aut negligentibus. Et quidem omnia hæc tanta diuerſitate, vt ſi quis omnes ſimul intueri poſſet, non

aliud

aliud haberet spectaculum, quam si innumerabile videret agmen hominum, per eandem vitam progredi se profitentium; quorum tamen alii dextrorsum, alii sinistrorsum, hi sursum, illi deorsum, imo alii prorsum, alii retrorsum sese agant, &, quod magis monstrosum, alii pedibus, alii capitibus incedant.

23. *Ecquid remedii?* vnum hoc necessarium, ad *CHRISTUM reuerti.* Hoc est, vnius ducis CHRISTI vestigia melius obseruare ac premere, alienis quibuscunque vestigiis tantisper neglectis, donec omnes perueniamus in vnitatem fidei &c. (Ephes. 4, 13. &c.) Nempe vt, quemadmodum cœlestis magister omnia sua super scripturas fundauit; ita quisque nostrum, particulari quacunque confessione missa, communi acquiescat *reuelato Dei verbo*; arreptisque bibliis, clamet: *Credo, quicquid in hoc libro reuelat Deus,*

us, faciam obsequiose, quicquid mandat, spero, quicquid promittit Deus.

24. Audite, Christiani! *Vita vna & simplex, moriendi mille figuræ*: Verum vnum & simplex, errandi mille figuræ. Ita similiter, *Christus vnus & simplex, Antichristorum mille figuræ. Quisquis enim non est cum Christo, contra Christum est*, (Luc. 11, 23.) hoc est, Antichristus est: & quicquid contrarium Christi doctrinæ creditur, agitur, speratur, *Antichristianismus est*. Cuius species quia sunt *habendi, eminendi, dominandi, voluptandi, iurgandi, bellandi, aliisque nocendi studium*, hæc autem ad omnes Christianos (nulla parte excepta) irrepserunt, consequens est, Antichristum regnare vbique, secundum plus aut minus. Scitote igitur, omnes Christiani, omnibus necessario esse aut ad Christum redeundum, aut cum Antichristo pereundum. Sed elige vitæ ducem, vt viuas, quisquis sapis.

CAPUT

Caput IX.

Regulæ Chriſti obſeruatione totum mundum (ſi æternæ ſapientiæ admittat conſilia) in melius mutari poſſe.

§. I.

NOn eccleſiæ tantum & conſcientiis, ſed omnibus humanis rebus meliuſcule eſſe poſſet, ſi regulam Chriſti obſeruare mortales vellent. Certe in externis etiam *exiguo viui melius*, humana prudentia pridem vidit, parſimoniaque ac frugalitate onera ſua leuare paſſim tentauit: vt ex ſapientum dictis & factis conſtat. *Ne quid nimis*, dixit Solon. *Quod nimium eſt, fugito, paruo gaudere memento.* Cato. *Mel etiam nimium in fel vertitur, &c.*

2. *Spartani*, virtutum laude celebratiſſimi, mox a pueris famem tolerare, ſuperfluitatem vero in victu, veſtitu, ædi-

ædificiis, ſermone, omnibus vitare adſueſcebant: paucis vbique, ſed ſolidis, adquieſcentes. Quorum quidam, *Leotychidas, qua de cauſa tam parci eſſent in potu Spartiatæ*, interrogatus, *vt non alii pro nobis, ſed nos pro aliis conſultemus*, reſpondit. Similiter *Arabes*, antiqua gens, veteresque *Romani* a frugalitate laudantur: quod nulla victus intemperie vires frangebant, ſed temperantia valetudinem tutabantur, exercitiisque corporis artus ad inuictum robur firmabant, vitam autem ad ſeros nepotes producebant; cuiusmodi exempla ſimplicioribus in populis hactenus non deſunt, ſicuti nec ſingularium quorundam heroicæ frugalitatis virorum. Attingam quosdam ex philoſophorum & politicorum ordine.

3. *Socrates*, tenui admodum apparatu hoſpites excepturus, *ſi boni ſunt, ſatis erit*, inquiebat; *ſi mali, plus quam*

ſatis.

ſatis. *Pythagoras*, vt ſapientiæ ſtudiis ex toto vacare poſſet, frugaliſſime viuebat, inquit ATHENÆUS. *Diogenes* vnico pallio, vnicoque dolio, (vbi ſe a ventis & imbre abſconderet) vnico item baculo (quo canes abigeret) contentus, herbisque tantum & aqua victitans, tantam ſui admirationem excitauit, vt *Alexander Magnus*, niſi Alexander eſſet, nihil quam Diogenes fieri optaret. *Epicurus*, ſummus ille voluptatis aſſertor, aqua & polenta, aut pane hordeaceo victum quæſiuit, contraque paupertatem animum inuictum geſſit: non quod voluptates auerſaretur, ſed quod in tenui victu (*attendite, voluptuoſi!*) plus voluptatis experiri ſe aiebat. *Galenus*, Medicus, reperta valetudinem tutandi ratione certa, nunquam ab illa recedendi legem ſibi fixit, quæ fuit: *Ad ſatietatem nunquam edendi aut bibendi, neque crudum quidquam vnquam guſtandi;* vixitque

xitque incolumis ad annum ætatis ſupra centeſimum. Sicut & memoria noſtra *Ludouicus Cornarus*, Nobilis Venetus, qui in iuuentute luxu valetudine totaliter perdita, diætæ autem beneficio totaliter reſtituta (ad pondus 12. vnciarum cibi, & 14. potus quotidie adhibens, nec vltra) pleno vigore vitam ad annum 118. perduxit. Non inſcite igitur *Iouianus Pontanus*, cur vno ſolum ferculo ſemper contentus viueret, rogatus, reſpondit: *Cibo abſtineo, vt medici a me.*

4. Poſſent & reges animi heroici ad exemplum vocari. *Cyrus Maior* ab hoſpite, quid ad conuiuium parari iuberet, rogatus, *panem*, reſpondit: *ſpero enim, nos ad flumen cœnaturos.* Alexander Magnus cibi fuit adeo temperans (vtinam & vini!) vt, regina Cariæ optimos illi coquos cum obſoniis mittente, repudiaret; meliores ſe habere profeſſus obſonatores, *laborem & ſudo-*

ſudorem. Animaduertensque, principes ſuos in Perſicam lautitiam delabi, moleſte tulit, *ſeruile eſſe, dicens, voluptatibus ſe mancipare; laboribus vero innutriri, eſſe rem principe dignam. Romulum*, ſcribit GELLIUS, ad cœnam vocatum, pauxillum bibiſſe: eo quod poſtridie negotium haberet. (Annon ad Salomonis mentem? *Vinum non eſſe dandum regibus, vt ne obliviſcantur iudiciorum, & mutent ius*, Prou. 31, 4.) Sic *Auguſtus Cæſar* vini parciſſimus fuit, cibique minimi, vulgaris fere. *Carolum Magnum*, CRANTZIUS teſtatur, vltra quatuor fercula in cœna non toleraſſe, nec in cœna bibiſſe, niſi ter: ebrietatem vero in quouis homine (infimæ etiam conditionis) abhorruiſſe. Et ſic alii heroes.

5. Si *leges ſumptuariæ*, toties in bene conſtitutis rebuspublicis (in pompas, nuptias, conuiuia, ludos, luxum in ve-

ſtitu, aliasque ſuperfluitates) latæ, conſiderentur, *an aliud ſunt, quam regulæ Chriſti (de non-neceſſariis cauendis) approbationes? atque ſi conſiliis bonis parere vellent homines, leuaminis multum ſperari poſſe teſtimonia.* Quæ tamen conſilia dum non audiunt homines, annon vel ridendi, vel miſerandi ſunt? Ridemus certe ridiculam beſtiolam, ſciurum, qui mobili caueæ incluſus perpetuo ſaltu ſe & illam ſemper mouet, nunquam tamen loco promouet; nec ideo triſtatur, captiuitatem ſuam non intelligens. At quod æternitati deſtinatum genus humanum temporis caueæ ita ſe includit, vt in tanta temporis penuria, vitæque breuitate, plerumque det fabulis & nugis, nihil fere ſibi & Deo; hoc vero deplorandum eſt ſerio.

6. O ſi humana ſtultitia diuinæ velit aſſurgere ſapientiæ, ſeparandoque vile a pretioſo auerruncare a ſe omne malum,

malum, vanum, ſuperfluum! quam aliam rerum faciem videre eſſet breui, tam in philoſophia, quam in politia & religione! *Simpliciſſima enim reformationis forma eſſet, & facillima, tutiſſimaque, ſi, non-neceſſariis amputatis, contenti eſſe velimus ſolis neceſſariis.* Ex. gr. *in philoſophia* nihil præciſe affirmando, niſi euidenter *verum*; nihil conſtanter volendo, niſi euidenter *bonum*; nihil pertinaciter conando, niſi euidenter poſſibile, facile, profuturum. Sic noſtrum in res imperium floreret. Bene quoque haberet *politia*, ſi nemo noſtrum quidquam aliter vellet, ſtatueret, ageret, niſi ad communem communis felicitatis ſcopum: nempe vt toti humanæ ſocietati bene ſit. Quod eſſet, ſi omnes ordinem ſeruarent, quisque loco ſuo: nemini ſe quisque præferens proterue, aut ſubiiciens ſeruiliter; omnibus tamen ſe accommodans, pacisque amore ſerui-

ens liberaliter. Similiter *in religione*, ſi nihil vellemus adorare omnes, niſi vnum illud optimum Numen, a quo ſolo nobis omnibus omnia veniunt bona; illius diligendo bonitatem ſumme, vt nos rurſum diligere dignetur paterne: & metuendo potentiam reuerenter, ne illam in nos licentioſos exſerat iuſte: tam ille non negaret miſericordiam ſuam omnibus, quam non negat ſolem ſuum cœleſtem cuiquam.

7. Cui ſummæ æquitatis viæ inſiſtere ſi renuunt mortales, parata ſunt a ſummo fatorum præſide iam decreta: vt *I. Cuicui non-neceſſariis ſine fine occupari placet, neceſſariis ſine fine careat. II. Cuicui labyrinthis ſuis ſine fine perplexari libet, perplexetur igitur, donec intricarum interminabile chaos prolapſus exeat nunquam. III. Cuicui ſine fine Siſyphea ſua ſaxa volutare volupe eſt, volutet igitur, donec & vires, & vitam, & ſeipſum conſumat. IV. Cuicui concu-*

concupiſcentiis Tantaleis indeſinenter ardere ac vri ſuaue videtur, ardeat igitur & vratur, donec exuratur. V. Cuicui placet ſtulto eſſe, potiusque ſuper arenas, quam petram ædificare, ædificet: donec, deſcendente pluuia, & inundante flumine, flantibusque ventis, & irruentibus in vane pompoſa ædificia, ruere illa faciant ruina magna. (Matth. 7.)

8. Eſtne, qui audiat? eſtne, qui ſapiat, ruinamque præuenire cupiat? Tota poſteritas Adæ nihil, niſi Euæ temeritatem & lapſus iterat. Bonitas vero Dei nihil, niſi humanam temeritatem & lapſus emendat: at Satan rurſum nihil, niſi vt emendata iterum corrumpantur, ſatagit, reciprocatione adeo perpetua, vt totus mundi curſus nihil ſit, niſi diuinæ ſapientiæ cum humana ſtultitia & ſatanæ aſtutia, bonitatisque illius cum horum malitia, & potentiæ Creatoris, cum præfracta creaturæ reſiſtentia, *lucta.* Enimuero, quia vi-

ctoriæ laudem non reluctanti creaturæ, se creaturam suam formanti & reformanti Deo, cedere necessum erit, & magnam mundi Babylonem (quæ nihil aliud est, quam omnis illa toto in mundo rerum confusio) ante mundi finem esse omnino euertendam, perpetua diuinorum oraculorum testimonia prænunciant, parendum erit mandanti Deo: *exite de illa populus meus! vt ne participetis de plagis eius*. (Apoc. 18, 4.)

9. Sed quia ad clamores Dei & seruorum eius (Prophetarum & Apostolorum) mundus iam obsurduit, ordinariaque ministrorum ecclesiæ vox vim amisit, extraordinariis vero mediis (si quæ excitat Deus) vim adimunt ipsi ordinarii (*dum signa & prodigia naturales ad causas reiiciunt; illuminatos extraordinarie idiotas fanaticos vocant; angelicas apparitiones, ecstases, vocis Dei alloquia, ad autorem satanam*

zanam referunt, ecquid restat? Tria: *I. Silentium & stupor.* (Amos. 5, 13. Ier. 2, 12.) *II. Suspiria & gemitus. III. Expectatio iudiciorum Dei, quæ vt diluuium venient, & forte iam veniunt.* Quod quisquis agnoscere, & de iis, quæ fiunt & fient, diuinitus informari vis, lege cap. 24. Iesaiæ, Apocalypseosque caput 16. 17. & 18. & fuge, festinanter fuge!

10. *Quorsum fugiam?* A veniente olim vniuersali diluuio refugium non dabatur, nisi ad arcam Noë: hanc quisquis non assequutus, ei pereundum fuit. Ab igne, Sodomam obruente, non nisi ad Segor, locum quidem viciniorem, sed & illum perdendum. Aut ad montis speluncam: sed & ibi tentatio & satan. Vel ad montem extra Niniuen: sed & ibi vermis & sol vrens. Quorsum ergo? A Deo irato refugium nullum est, nisi ad Deum placatum, a peccatis ad pœnitentiam,

 a cir-

a circumferentiæ rotatione ad quietis centrum, a mundi vertiginibus ad Christum. Quomodo Maria bonam elegit partem, considendo ad pedes Christi: & inde Christum sequuta Ierosolymam, & ad crucem, & ad sepulchrum, illum non deserens ad lætam vsque resurrectionem. Quibus de rebus quid propositi senilis quoque mea mens concipiat, non celabo.

CAPUT X.

Professio Autoris de obseruatione iam fixa æternæ Christi regulæ, *de vno necessario*, cum sui & omnium in manus DEI resignatione.

§. 1.

COmmunes humani generis labyrinthos attigi; etiamne proprios memorabo? silentio inuoluerem omnia, nisi me quoque mearum

rum actionum & passionum spectatores habuisse scirem, scandalique a non emendatis erroribus subesset metus. Sed quia Deo meo, cor mihi publici boni auidum dare, personamque publicam imponere, & occasiones variorum obiicere placuit; actaque nonnulla sunt, quæ censuras incurrerunt: attingenda illa duxi (hoc vltimæ renascentiæ meæ tempore) eo fine, vt si qui me in speculum siue industriæ, siue curiositatis habuere, vel adhuc, etiam in rectis intentionibus errari posse animaduerso, errores aut præuenire me monitore, aut emendare meo exemplo discant. Nam quod Apostolus dixit: *Siue insanimus, Deo; siue sana mente sumus, vobis*; (2. Cor. 5, 13.) id quisque fidelis Christi seruus suum facere debet: vt, si quid insaniuit, Deo errores confiteri; si quid in errorum correctionem obseruauit, proximis obseruasse velit.

2. Gra-

2. Gratias itaque ago Deo meo, qui me per totam vitam *virum desideriorum* esse voluit; ac, tametsi per id variis me labyrinthis implicari permisit, plerosque tamen aut eluctari iam dedit, aut me ad beatæ quietis prospectum ipse manu sua ducit. Desiderium enim boni (qualecunque vllius hominis cordi vnquam subnascitur) semper est riuulus a fonte boni, Deo, scaturiens; semperque in se bonus, & finem habens bonum, si sciamus vti. Sed in nobis culpa est, quod nescimus aut relegendo riuos inuenire fontem, aut corriuando flumina venire ad mare, vbi bonorum plenitudo & satietas est. Diuinæ tamen bonitati debetur gratia, quæ nos per quascunque labyrinthorum nostrorum ambages, occultaque sapientiæ suæ (Ariadnes) fila, tandem deducit ad se, ipsum fontem & oceanum omnis boni. Qualiter & mihi euenire gaudeo, vt post innumera hactenus

ctenus meliorum desideria (quorum nescio numerum) deduci me ad ipsas omnis desiderii metas, sentiam : agnoscendo mea omnia huc vsque fuisse aut Marthæ discursationes meras (pro Domino tamen & discipulis eius, ex amore) aut discursationum & quietis alternationes ; nunc vero me fixo proposito ad pedes Domini cum Maria deduci, vt lætabundus cum Dauide clamem : *Mihi, Deo adhærere, bonum est.* (Ps. 73, 28.)

3. Dixi, omnes vitæ meæ discursationes huc vsque Marthianis fuisse similes, pro Domino & discipulis eius, ex amore : nec enim aliter scio. Aut maledicta sit omnis hora, omneque cuiuscunque negotii momentum aliter impensum ; meo etiam calculo in iis, quæ ab aliis insolentiæ ac temeritatis notata fuere. Vt fuit *didacticum studium*, scholas & iuuentutem molestissimis labyrinthis liberandi desiderio susce-

ſuſceptum, multisque annis continuatum; a nonnullis tamen vt alienum a Theologi officio æſtimatum: quaſi vero Chriſtus iſta duo: *paſce oues meas*, & *paſce agnos meos*, non coniunxiſſet, dilecto Petro ſuo vtrumque mandans. (Ioh. 21, 15. &c.) Ego autem Chriſto æterno amori meo æternas ago gratias, qui hunc agnellorum ſuorum amorem meo inſpirauerat animo, remque eo deducere dedit, quo deducta eſt, & ex *Tomo* IV. *didacticorum* noſtrorum videri poteſt; præſertim quinto, ſeptimo, octauo tractatu, quorum tituli ſunt, V. E. *Labyrinthis ſcholaſticis exitus tandem in planum*, ſiue *machina didactica mechanice conſtructa, ad non hærendum amplius, ſed progrediendum. VII. Typographeum viuum*: h. e. *ars compendioſe, & tamen copioſe ac eleganter, ſapientiam non chartis, ſed ingeniis, imprimendi. IIX. Paradiſus eccleſiæ reductus*, h. e. *optimus ſcholarum*

rum ſtatus, ad primæ paradiſiacæ ſcholæ ideam delineatus. Spero enim, & fidenter a Deo meo expecto, futurum, vt hæc debitum inueniant vſum, quando eccleſiæ tranſierit hyems, & receſſerit imber, & flores apparuerint in terra noſtra, & putationis aduenerit tempus (Cant. 2.) Deusque gregi ſuo paſtores dabit ſecundum cor ſuum, qui non ſeipſos paſcant, ſed gregem Domini, liuorque in viuis paſci ſolitus poſt fata quieſcet.

4. Alter mihi diuturnus quoque ac moleſtus labyrinthus fuit, *irenicum ſtudium*, h. e. varie, noxie, prorſusque exitioſe circa fidem diſſidentes Chriſtianos reconciliandi (ſi placeret Deo) deſiderium, variique huc impenſi labores. Quorum quidem nihil fere adhuc in lucem prodiit, fortaſſis tamen prodibit. *Non prodiit*: ob indomitam quorundam irreconciliabilitatem quorum ſe obiicere implaca-

N bili-

bilibus odiis intempestiuum iudicabant intimiores amici. *Prodibit tamen*: quia plus tandem obediendum erit Deo, quam hominibus, & plus metuendus Deus, quam homines. Nunc tempora erant, qualia Elias vidit in Oreb, spelunca sua prodire non audens, cum transire videret ante Dominum procellam grandem, subuertentem montes, & conterentem petras, & terræ motum, & ignem, in quibus non erat Dominus. Sed veniet tempus, quo, audito sibilo auræ lenis, prodire licebit Eliæ, audireque loquentem Deum, & loqui rursum Deo & populo eius (1. Reg. 19.) Nunc sua cuique Babylon pulchra est, eamque credit ipsissimam esse Ierusalem, nemini cedentem, illi omnia.

5. Quæ Christianorum aduersus inuicem obstinatio, irritumque hactenus variorum eos reconciliandi studium, cogitare me ac sperare fecit, *facilius*

curari

curari posse totum, quam partem: toti morbido corpori humano medicinam propinando catholicam, quam emplastrum applicando soli capiti, aut pedi, aut lateri &c. hoc est, *extendere desideria cœpi ad totum humanum genus (vndique rebus sibi inuicem Deo dissidens) reconciliandum, mediaque & modos, quibus id fieri posset, circumspectandum.* Dederatque in his aliquem progressum Deus iam ante hos 30. annos, vt amici horum conscii (etiam inconsulto me) aliquid horum sub titulo: *Prodromus conaminis Pansophici*, publicare fuerint ausi, ad eruditorum de hoc tanto incepto iudicia eliciendum. Quæ vtut plerorumque benigna fuerunt, reperti tamen, qui immanes absurditatum moles inde concipiendo, cœlum terræ misceri clamarent: aut ad minimum intolerandam audaciam & temeritatem, quod vnusquispiam consilia dare præsume-

 ret

ret omnibus, interpretarentur. Quod me cogitationes meas ita huc vſque premere coegit, vt, tametſi hoc agi ſciant multi, num tamen aliquid peractum ſit, nemo fere: dum quidam pro deſperato id operis haberi a meipſo iam quoque opinati, (vt audio) nihil amplius inquirunt, pauci vero quidam etiamnum tacite quiddam ſperant: annon vane? Deus nouit. Ego nihil adhuc ſperandum, nihil deſperandum dico: ne quidem nunc me iam ad ſepulchrum conſtituto. Nunquam enim aliquid nos per nos ſatis potentes, nunquam impotens Deus.

6. Hoc ſolum nunc moneo: *Non temeritatem eſſe dicendam, ſi quis bonæ cauſæ fiducia, Deoque nixus, vel totum mundum inclamare, totumque humanum genus reſipiſcentiæ admonere velit & audeat.* Quia I. *omnes in magno mundi theatro conſidemus:* quicquid hic agitur, omnes tangit, ſole o-

mni-

mnibus lumen, Deo oculos ministrante. *II. Totum humanum genus vna progenies sumus, vnus sanguis, vna familia, vna domus:* quo ergo iure pars succurrit suo toti, & membrum quoduis aliis omnibus in eodem corpore membris, vnusque familiaris alteri eiusdem familiæ, aut etiam toti, si potest, familiæ; eodem iure nos naturæ humanæ consortes consortibus. *III. Deus iam inde a prima creatione homini cuique curam mandauit proximi cuiusque*, (Eccles. 17, 15.) nec aliud per vniuersam scripturam (post dilectionem & obsequia sibi creatori debita) vrget, quam dilectionem proximi, mutuamque pro inuicem sollicitudinem, ministeria, auxiliaque. *IV. Ipsa ratio sana id ipsum cuique dictat, vt in viris sapientibus patet. Socrates* certe mori maluit, quam non docere meliora. *Seneca* vero: *si ea conditione sapientia* (felicitatis lux & dux) *detur,*

vt eam sibi soli haberet, neque communicaret, non desideraturum illam, dixit. Et in genere quo quis (etiam in vulgo) magis pius, eo plus, & pluribus prodesse optat & quærit. *V. Hinc ipse Dei Filius, ad perdita reparandum cælo missus, quicquid cogitauit, loquutus, egit, mundi salutem concernens fuit*; legatosque ad nunciandum salutem partam mittens, non hos aut illos adire iussit, sed mundum vniuersum; (Marc. 16, 15. Luc. 24, 47.) neque susurrare in aurem, sed prædicare super tecta. (Matth. 10, 27.) *Quod Apostoli fecere, vt in omnem terram exiret sonus eorum, & ad fines orbis terræ verba eorum*, (Rom. 10, 18.) *gaudentes euangelium prædicare iis locis, vbi non erat nominatus Christus*, (cap. 15, 20.) *docentes omnem hominem omni sapientia, vt exhiberent omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* (Col. 1, 28.) *VII. Promissum etiam est, plenum effectum*

affu-

affuturum, si non ante, sub mundi tamen vesperam; (Zach.14, 7.) *vt nouissimis diebus intelligatur totum eius consilium.* (Ier. 30, 24.) Non igitur temeritati tribuendum, quod tanta hæc aliquis vrgere audeat: sed gratulandum temporum felicitati, quod, qui hæc nomine Dei agere incipiant, iam non desint: certa spe, appropinquare Babylonis ruinam, & angelum illum, a cuius gloria illuminabitur terra. (Apoc. 18, 1. &c.)

7. Immissus præterea fui (voluntate Dei) in quendam inusitatum labyrinthum, *reuelationes diuinas seculo nostro factas* (sub titulo: *lux in tenebris*, aut *e tenebris*) *a me publicatas.* Quæ res vt multum laboris & molestiæ, ita & multum trepidationis, inuidiæ, periculorumque secum traxit: hinc ludibriis ob credulitatem, inde comminationibus ob diffidentiam & tergiuersationem, se intermiscentibus. Vidi

præfracte his contradicentes interire; ſed vidi etiam placide hæc admittentes abripi: vt ſecundum apparentiam externam ex hoc labyrintho exitum inuenire non facile fuerit, vel adhuc ſit. Quid faciam? non aliud ſcio, niſi vt rem totam Deo committam. Mihi ſatis fuerit cum Ieremia deſcriptas Babylonis plagas Babylonem miſiſſe, lapidem illis alligaſſe, in Euphratem proieciſſe. (Ier. 51, 63.) Si quæ prædicta non impleta ſunt, indignari trepidabo, Ionæ id non bene ceſſiſſe videns. (Ion. 4.) Fortaſſis enim Deo ſuæ ſunt rationes, decreta ſua interdum (aut ſaltem ſuas de iis indicationes) mutandi. Et fortaſſis hic, quid homines ſine Deo non poſſint, primum oſtendere voluit Deus: oſtenſurus deinde, quid ipſe ſine illis, aut per illos tandem in voluntatem ſuam deductos poſſit. Liberum ſit illis, qui Deo antiquum morem ſuum (nihil faciendi, niſi

nisi reuelauerit secretum suum seruis suis prophetis, Amos 3, 7.) non amplius permittunt, seruis eius, verbisque & operibus eius obloqui: sed & mihi liberum sit cum Dauide obmutescere, & non aperire os meum, quoties Deum aliquid, quod non intelligo, agere video, aut loqui audio. (Ps. 39, 9.)

8. Quid ergo tandem mihi (post tot Labyrinthos, Sisypheaque saxa, quibus toto vitæ meæ tempore fatigatus fui) occipiendum? Dicamne cum Elia: *tolle animam meam, Domine, non enim melior sum patribus meis*! (1. Reg. 19, 4.) An potius cum Dauide: *vsque in senectam ne derelinquas me, donec annunciauero brachium tuum generationi venturæ*! (Ps. 71, 18.) Neutrum: vt ne anxio alterutrius desiderio inquieter: sed permittam vitæ & mortis meæ, quietisque & laborum meorum arbitrium Deo, clausis oculis eum sequuturus, quocunque duxerit;

humiliter confidenterque cum Dauide orans: *consilio tuo deduc me, vt postmodum in gloriam recipias me.* (Ps. 63, 24.) Aut si quid meo etiam consilio disponendum est, non aliud illud mihi erit, quam datum a Christo: *vt ex hoc nunc vno necessario contentus, non-necessaria cuncta siue amoueam, siue potius exuram*, heroico Alexandri Magni exemplo, quem Indiam petiturum, vt exercitum prædæ Persicæ oneribus grauem & tardum vidit, plaustra sua & amicorum (manu propria igne admoto) exussisse scribit PLUTARCHUS. *Quod exemplum milites sequuti, necessariaque inter egenos partiti, & reliqua concremantes, alacritate & ardore Alexandrum seque ipsos impleuerunt.* Hoc, inquam, quidni ego nunc imiter? cui India cœlestis iamiam petenda, mundusque totus a tergo relinquendus? En, quicquid terrestrium curarum huc vsque collectum fuit, dele-

desero, necessaria de his inter proximos egenos lubens distributurus; reliqua vero (æque illis ac mihi oneri futura) igne potius aboliturus, quam toleraturus.

9. Si quid specialius de hoc vltimo animi mei proposito dicendum est, dicam. *Palatii loco mihi tuguriolum, qualecunque contingere potest, erit:* aut si proprium habere, vbi caput reclinem, non contingat, adquiescam, (Domini mei exemplo) si quis sub tectum suum recipiat; aut etiam sub tecto cœli, (vt ille postremis aliquot noctibus in monte oliueti) donec me in consortium suum transferant (vt mendicum Lazarum) angeli. *Pretiosæ vestis loco* sufficiet villosum aliquod indumentum: quale Iohanni Baptistæ fuit. *Opiparæ mensæ vicem panis & aqua explebunt:* aut si quid obsonioli accedet, laudabitur bonitas Dei. *Bibliothecam meam trinus Dei liber ab-*

 soluet.

ſoluet. *Philoſophia mea* erit, intueri cum Dauide cœlos, & omnia reliqua opera manuum Dei; rapique in admirationem, quod Deus, tantarum rerum Dominus, ad me quoque vermiculum reſpiciendum ſeſe demittat. (Pſ. 8. & 104.) *Medicina* mihi erit tenuiſſima diæta, ieiuniis ſubinde interpoſitis decoranda. *Iuriſprudentia* mea erit, quicquid ab aliis fieri velim, aut nolim mihi, hoc idem facere, aut non facere aliis. *Si in Theologiam inquirat*, arripiam (cum *Aquinate* morituro: nam & mihi iam moriendum eſt) *Biblia*, totoque corde & ore dicam: *credo, quicquid in hoc libro ſcriptum eſt.* *Si quis preſſius fidei meæ ſymbolum* requirat, *apoſtolicum* oſtendam: quia nihil breuius, ſimplicius, neruoſius, & cuius ductu compendioſius controuerſiarum omnium deciſiones poſſidens, infinitos diſputationum labyrinthos declinem, noui. Si,

quibus

quibus exquisitis *precum formulis* vtar, quæret, *orationem dominicam* monstrabo: quia neminem ad reserandum paternum cor meliorem clauem, præ vnigenito illo, qui e sinu Patris prodiit, ostendere posse credo. *Si regulas vitæ meæ requiret, decalogum exhibebo:* quia, quid placeat Deo, neminem exprimere posse melius, quam Deus ipse, confido. *Si, quos conscientiæ casus habeam, quæret, omnia mea mihi esse suspecta, respondebo*, ideoque recta etiam faciendo timere me, &, *inutilis seruus sum*, (Luc. 17, 10.) *patientiam habe mecum, & omnia reddam tibi*, (Matth. 18, 26.) clamare humiliter.

10. Quid ad hæc humanæ sapientiæ admiratores dicturi? Ridebunt forsan delirum senem, a fastigiis æstimationis suæ ad infimas bases exinanitionis sui descendentem? Rideant, si volupe est: meum cor etiam ridebit, effugisse tricas. *Inueni portum, sors & fortuna*

valete ! dixit Poëta. Ego : *Inueni Christum, vos numina vana valete.* Christus mihi omnia : huius mihi subsellia pro omnibus mundi thronis, huius humilitas pro omni sublimitate erit. Cœlum sub cœlo reperisse videor, huius cœli ducis vestigia in conspectum euidentius nactus, quam huc vsque : his iam insistere, nec iam dimoueri, ipsissima cœli via mihi erit. Tota mea vita peregrinatio fuit, non patria ; mutatum perpetuo diuersorium, nunquam & nusquam stabile domicilium. At iam cœlestis patria in prospectu est, ad cuius vsque limina me deduxit dux meus, lux mea, Christus meus : qui præiuit parare mihi locum in domo Patris sui, vbi habitacula multa sunt : iamque veniet assumptum me, vt, vbi ipse est, ego quoque sim. Hoc ergo mihi iam *vnum necessarium, obliuisci omnium, quæ a tergo sunt, festinareque ad brabeum supremæ vocationis Dei.* (Phil. 3, 13.) II.

11. Gratias ago tibi, Domine IEsu, autor & consummator fidei meæ, qui me incautum viatorem, ab itineris mei scopo mille viarum diuortiis aberrantem, & millies mille parergis ac remoris retardatum, eo tamen deduxisti, vt ad limites promissæ cœlestis patriæ iam constitutus, nihil nisi mortis Iordanem adhuc mihi transeundum videam, mox me in ipsis beatæ patriæ amœnitatibus visurus. Laudo iterum iterumque sanctissimam prouidentiam tuam, o Sospitator meus, qui mihi patriam & domicilium in terra non dedisti: sed tantum, vt illa mihi exilii & peregrinationis locus esset: ego vero cum Dauide dicere haberem: *aduena fui apud te, & peregrinus*, (Ps. 39, 13.) nec tamen cum Iacobo: *pauci dies peregrinationis meæ, nec peruenerunt ad dies patrum meorum.* (Gen. 47, 9.) Fecisti enim superare dies vitæ meæ dies patris & aui mei, millenorum-

rumque exilii conſortum, qui per iſtos quadraginta annos in exilii noſtri eremo occubuerūnt: quo conſilio, tu Domine, noſti, ego me conſtanter tuis permitto manibus. Miſiſti etiam ſubinde mihi, vt Eliæ, deſerta peragranti, angelum quempiam cum buccella panis, & hauſtu aquæ, vt fame aut ſiti non perirem. Præſeruaſti etiam ab illa mortalibus nimis vulgata ſtultitia, qui eſſentialis boni loco quiduis acceſſorium, metæ loco viam, quietis loco motum, domicilii loco diuerſorium, patriæ loco peregrinationem habent: ſed me pergere ad montem vſque tuum *Oreb* feciſti, aut etiam coegiſti. Benedictum ſit nomen tuum!

12. Si vero ego ſtolido viatori quacunque parte me aſſimilaui, & ad præſentem tantum vitam ſpectantia egi, ἔργων loco habens parerga, en deſiſto! *ſub vitæ finem bonum illum negotiatorem agere proponens, qui præter*

marga-

margaritas nihil quærit aliud, vnaque pretiosa reperta, abit, omnia vendit, & eam emit. (Matth. 13, 45.) Tu Domine Iesu, solus iam pretiosa mea margarita, omne meum bonum, omne meum vnum necessarium eris. Te vnum quæram & emam, omnibus, quæ habeo, & quæ non habeo, diuenditis: & quæcunque mundus pro lucro habet, vt stercora habeo, modo vt iam te, mi Christe, lucrifaciam. (Phil. 3, 8.) Vltima vitæ meæ occupatio erit: *discere mori vitæ huic, futuræ autem nasci.*

13. Domine IESU, si quid peragendum in terra restat adhuc, da peragere adhuc, cumque peractum fuerit, da beato Simeoni lætum illud: *nunc dimittis seruum tuum!* succinere. Si vero etiam vltimam laborum meorum metam vltima vitæ meæ meta præuenire voles (vt mihi vita exituro illud gentilis philosophi, *nihil adhuc*

para-

paratum habeo, præter me, vſurpandum veniat) adquieſcam ſic quoque: dummodo iam non abripiar imparatus, qualiter mortalium pleriſque (eheu! eheu!) accidit. Ego autem miſericordias tuas canam in æternum, qui me ante mortem ipſam eripis morte, notas mihi faciens vias vitæ. (Pſ. 16.)

14. Vos autem, o Chriſtiani! gaudete pariter eripi, audientesque ducis reſonantes adhuc voces: *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam;* (Matth. 11, 28.) vnanimes reſpondete: *ecce venimus! reſpice nos, recipe nos, refice nos! ſubueni laborantibus, ſubleua oneratos, refocilla fatigatos: deduc nos a rerum præcipitiis ad rerum fundum, vt non inueniat hoſtis, vnde nos præcipitet, ſed inueniat gratia tua, vnde attollat, ſi bonitati tuæ placeat.* Sin eligimus abiecti eſſe apud te in domo tua, (modo

do apud te in domo tua) quam habitare in palatiis peccatorum. Nobis, Domine, in labyrinthis noſtris perpetuis opus eſt duce perpetuo; in volutandis ſaxis noſtris perpetuis, auxiliatore perpetuo; in perpetua fame ac ſiti noſtra, nutritore perpetuo. Quæ quia fruſtra expectari a mundo iam agnoſcimus, tametſi promittat, (dare tamen, quod ipſe non habet, non poteſt:) te vnum ecce iam reſpicimus ſolum; o vltima ſpes noſtra! *Hominum nemo eſt, qui non erret, non fatiſcat, non eſuriat ipſe. Tu igitur, æterna veritas, ſuccurre errantibus! Tu æterna virtus, ſuſtenta labantes! Tu æternus bonorum fons, ſatia nos bonis!* Et quia mihi (ſeruorum tuorum vltimo) iam ſuccurris, me iam ſuſtentas, iam ſatias, exulto in te, nomenque tuum celebrabo in æternum.

15. Et quia hæc de vltimo meo ad VNUM NECESSARIUM reditu

ditu professio mea in conspectu Dei, loco vltimæ dispositionis meæ (seu testamenti, Ies. 38, 1.) mihi est: eia vos domus mea, filii & filiæ, nepotesque mei, audite vocem patris vestri, ad patrem patrum vos (antequam ad patres meos collectus fuero) manuducentis. *Hæreditatem vobis aliam non relinquo, præter hoc Vnum Necessarium, vt Deum timeatis, & mandata eius obseruetis: hoc enim est totum hominis.* (Eccles. 12, 13.) *Si feceritis, Deus erit hæreditas vestra,* (Deut. 18, 2.) *clypeusque vester, & merces magna valde.* (Gen. 15.)

16. Quod idem vobis fratribus meis, dissipatæ ecclesiæ meæ filiis residuis, dico: *diligite Dominum, & seruite illi toto corde, non erubescentes crucem eius, quam baiulastis huc vsque, & baiulabitis in finem vsque, si sapitis. Commendo vobis constanter hæreditatem Christi, paupertatem & crucem; quæ vobis*

vobis æternarum diuitiarum & gloriæ via erunt, si mentem Christi habueritis perseuerandi ad finem. (1. Cor. 2, 16. Luc. 22, 28.) Tu autem, Domine, qui olim Petro tuo: *tu conuersus confirma fratres tuos*, dixisti, dic etiam nunc mihi seruo tuo: *tu conuersus a non-necessariis ad vnum necessarium, doce idem fratres tuos.* Fratres dico meos, omnes Christi nomen inuocantes: & fratres dico meos, omnes eiusdem sanguinis consortes, totam Adami progeniem super vniuersam terræ faciem habitantes.

17. Eandem Christi sapientiam, *VNUM NECESSARIUM*, commendo tibi quoque, mea gens, *Moraui, cum vicinis Bohemis, Silesiis, Polonis, Hungaris:* apud quos, exilii tempore hospitatus, beneficiis sum vsus. Det vobis in retributionem Dominus *vnum illud necessarium*, SAPERE, vt felicium terrarum vestrarum prouentibus

bus ſciatis vti, non abuti. *Luxus Bohemos perdidit*, dixit ſapiens aquilonaris rex, luxum peroſus. Sed idem de te breui dicendum erit, *Polonia*, niſi mature ad vnum neceſſarium tranſieris, *frugalitatem*. *Initium enim peccatorum Sodomæ ſuperbia, & ſaturitas panis, & abundantia, & otium.* (Ez. 16, 49.)

18. Vltima mea hoſpitatio per annos duodecim in Batauiæ metropoli, orbis emporio, fuit, vbi melius ac vnquam in vita mea, *quantum ſit, quo carere poſſumus*, obſeruandi, & in has de *VNO NECESSARIO* cogitationes veniendi occaſionem nactus, inter mille labyrinthos labyrinthis elabi deſiderium concepi; interque millena hic a millenis quotidie volutata ſaxa, negotia mea non amplius volutare, ſed quadrare & figere; & inter inſatiabiliter eſurientium ac ſitientium Tantalorum agmina non ſimiliter

eſu-

esurire ac sitire, didici dono Dei. Quod mihi iam ad vitæ dies maximi thesauri loco, omniumque deliciarum instar, erit. Memini, me primo huc delatum, a primoribus honorifice fuisse exceptum, propter spem quandam curiosæ cuiusdam eruditionis: ego vero mihi exemplum Domini mei, in nuptiis Canæ vinum optimum seruantis in vltimum, imitari posse opto: vt nempe vltima mea meliora sint, quam illa primum sperata. Fore autem, spero, si prudentes architriclini non defuerint, qui de aqua vinum facta, rectum formare sciant iudicium. Quale vero illud? Apostolicum: *Magnum quæstum esse, pietatem cum sufficientia. Quia nihil intulimus in mundum, nihil auferemus: habentes ergo alimenta, & quibus tegamur, vt adquiescamus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos diaboli, desideriaque multa inutilia & no-*

& nociua, quæ homines mergunt in interitum & perditionem. (1. Tim. 6, 9.) Atque hoc forte eſt, quod ſcriptura Babylonem (æque myſticam illam toto orbe diffuſam, vt & antiquam iſtam in Chaldæa ſitam) ſuperfluis exceſſiue diffluentem, illisque toto orbe conquirendis, emendis & vendendis, ſuperbe occupatam, deſcribit, (videatur Apocal. 18, a verſu 11. ad 20.) Quia nimirum quisquis homo, aut quæcunque hominum ſocietas, vel ciuitas & regio, nimium ſe rebus terrenis dedit, & earum amore inebriat, facile meliorum bonorum, cœleſtium & æternorum, ipſiusque omnium bonorum fontis, Dei, obliuiſcitur, perque id in interitum ac perditionem mergitur. *Vinum moderate ſumtum, fere vita hominis*, inquit ſapiens Hebræus: *& tamen immoderate ſumtum, fit venenum & mors, quo plures ſuffocantur, quam aquis.* (Sir. 31.)

19. Do-

19. Domine Iesu Christe, sapientiæ magister vnice, regulæque de vno necessario fundator æterne, *duo peto a te, ne deneges mihi, antequam moriar.* (Prou. 30, 7.) *Quicquid ad bene viuendum, & beate moriendum, necessarium est, ne mihi iam absit. Et quicquid istuc non facit, & ad illum scopum necessarium non est, vt mihi ne adsit, neque se intermisceat amplius.*

20. Sed & peto, da hæc aliis recte monstrare posse! *quam stulte faciant, qui, necessariis neglectis, non-necessariis totos sese tradunt.* Cumque tu sitientes omnes ad aquas viuas inuites, illi sibi cisternas dissipatas, quæ aquas non continent, fodiunt: (Ies. 55, 1. & Ier. 2, 13.) imo cum tu vinum & lac offeras gratis, sine argento & pretio, illi aurum & argentum impendunt rebus, quæ non satiant, (Ies. 55, 2.) morbos potius, mortem, interitum, infernum ac gehennam afferunt. Miserere omni-

um, o Miserator omnium, propter bonitatem tuam! Amen.

CLAUSULA VNIUS NECESSARII,

DE MAXIME NECESSARIO MAXIME CUSTODIENDO.

VAcans adhuc pagella me ad aliquid adiiciendum inuitat *de summo regulæ Christi vsu; qui est, contentum esse non paucis aliquibus, aut vno aliquo extra se; sed tandem SE VNO, interioribusque bonis suis, quæ eripi non possint.* De quo Christus: *Quid homini proderit, si lucretur mundum vniuersum, seipsum autem perdat?* (Luc. 9, 25.) & vice versa: *quid oberit, si amittat omnia, seipsum autem lucretur?* Nihil: seipsum habens, habet omnia. Quod mihi celebre illud *Biantis* dictum in memoriam reuocat, qui, amissa patria, *Priene*, cum alii pretiosis rebus onusti fugerent,

gerent, ipſe autem, *cur ſolus rerum ſuarum nihil ſecum ferret?* interrogaretur, reſpondit: *ego vero bona mea mecum porto.* Pectore nimirum illa geſtabat, non humeris; animo viſenda, non oculis, vt VAL. MAXIMUS inquit. Quod, ceu heroice dictum & factum, ſi miramur & laudamus, quidni millies plus Filium Dei, qui noſtri cauſa homo factus, nihil externarum rerum poſſidere voluit, cui moriturо etiam veſtes detractæ, & in eius conſpectu direptæ ſunt; tandem, qui ne quidem ſepulchrum nactus proprium, dominus licet cœli & terræ exiſtens. Ad quod exemplum ſuos etiam formans dicere ſolitus: *quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, cætera vobis adiicientur.* Cumque aliquando adoleſcens quidam diues in ſalutis viam inquireret, & Dominus illi mandatorum Dei viam oſtenderet, ille vero, hæc ſibi ſemper curæ fuiſſe, dice-

ret, & quid adhuc agendum ſibi reſtaret, ſciſcitaretur, reſpondit Dominus: *ſi perfectus eſſe vis, abi, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me.* (Matth. 18, 21.) Hinc & illa Chriſti paradoxa, Chriſtianis neceſſario intelligenda: *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei. Beati eſurientes, quia ſaturabimini. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis, &c.* Et rurſum: *Væ vobis diuitibus, quia hic accipitis ſolatium veſtrum. Væ vobis ſaturis, quia eſurietis. Væ vobis, qui nunc ridetis, quia lugebitis &c.* (Luc. 6, 20. &c.) Quorum ſimilia tradebant Apoſtoli, ſuadentes Chriſtianis operam dare, vt felices, opulenti, ſaturi eſſe quærerent alio modo, quam æſtimare nouit mundus: *tanquam ſeductores, & tamen veraces; vt ignoti, & tamen (Deo) noti; vt morientes, & tamen viuentes; vt triſtes, ſemper tamen gaudentes; vt egen-*

egentes, multos tamen locupletantes; vt nihil habentes, omnia tamen possidentes. (2. Cor. 6, 8. 9. 10.) Cuiusmodi paradoxa qui vere intelligit, quid sibi vere necessarium sit? intelligere, partemque optimam (quæ non auferetur ab eo) eligere nouerit.

Summa prudentiæ huius spiritualis est. *I. Non onerare se vllis rebus vltra necessitatem vitæ, adquiescere paucis, commoditati seruientibus, & laudare Deum. II. Si commoda desunt, adquiescere necessariis solis. III. Si & illa eripiuntur, seipsum vt quis seruet, studere. IV. Si nec seipsum queat seruare, dimittere: modo ne Deum amittat cauendo.* Deum enim qui habet, omnibus carere potest, summum suum bonum & vitam æternam cum Deo, & in Deo possidens in æternum. Atque hic omnium desideriorum est

FINIS.

IN-

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

B. Bel-

B.

C

D.

R. Ra-

R.

S.

T.

V.

FINIS.